



**Oratio funebris, de vita et morte reverendi viri, pietate,
eruditione, sapientia, constantia, &c. praestantissimi D. Ioannis
Brentii, Ecclesiae Studiogardiensis Praepositi dignissimi, de
Repub. Christiana optime? meriti: praecipiarum rerum in
Ecclesia historiam horum quinquaginta annorum breuiter
complectens, scripta et habita Tubingae 20. Septembris**

<https://hdl.handle.net/1874/427035>

Oratio funebris,
DE VITA ET
MORTE REVERENDI
VIRI, PIETATE, ERUDITIONE,
SAPIENTIA, CONSTANTIA, &c. P RÆ-
stantissimi D. IOANNIS BRENTII, Ecclesiæ
Studtgardiensis Praepositi dignissimi, de Re-
pub. Christiana optimè meriti: præcipuarum
rerum in Ecclesia historiam horum quin-
quaginta annorum breuiter comple-
tens, scripta & habita Tu-
bingæ 20. Septem-
bris,

A

Iacobo Heerbrando, Sacrosanctæ
Theologiæ Doctore, eiusdemq; in Acadæ-
mia Tubingensi Professore.

ACCESSIONT EPICEDIA QVAE-
dam virorum doctissimorum.

TUBINGAE, M. D. LXX.

THE JOURNAL OF CLIMATE

ORATIO
DE VITA ET MORTE
REVERENDI VIRI, PIETATE,
ERUDITIONE, SAPIENTIA, CONSTAN-
tia, &c. præstantissimi D. IOANNIS BREN-
TII, Ecclesiae Stutgardiensis Prepo-
siti dignissimi.

V M D E V S O P T . M A X .
Rector Magnifice, Comites & Bar-
rones Generosi, Senatus Scholæ
huius amplissime, corona ornatissi-
ma, Eliam, summum illorum tempo-
rū Prophetam per turbinem, viuum
cum corpore, curru, & equis igneis
in cœlum raperet, eiusq; mirandæ translationis specta-
tor esset discipulus ipsius, & in munere Prophetico suc-
cessor, Elisæus, querula ipsum & lugubri voce prosequi-
tur, clamans: Pater mi, Pater mi, currus Israëlis, & aus-
tiga eius.

Quod si magnis licet, & quid prohibeat, non video,
componere parua, quod ad me: certè iustissimam nos
quocq; habemus causam, in eadem erumpendi verba,
eaq; repetendi. Amisimus enim, proh dolor, amisimus,
aut potius præmisimus summum virum, pietate, dos-
ctrina multiplici, sapientia, vsu rerum, & longi tempore-
ris experientia præstantissimum, Reuerendum D. Ios-
annem Brentium, Ecclesiae Stutgardianæ Præpositum
dignissimum, Scholæq; nostræ Commissarium fidelissi-
mum, Gubernatorem Ecclesiae huius Ducatus vigilan-
tissimum. Qui solus superstes fuit hactenus de ijs, qui ab

initio nostra memoria restaurarunt Religionem & doctrinam synceram: interfuit, & præfuit deliberationibus omnibus, colloquijs & conuentibus, quibus de Religione actum est, testis, custos, propagator, & defensio incorruptæ doctrinæ strenuus. Quiq; non solum huius Ducatus Ecclesiæ, & in eis consensum pium, pacem, & concordiam Dei beneficio illibatam conseruauit: sed etiam multas alias passim, sua autoritate, prudentia, & consilijs tempore longissimo, nempe annos quinquaginta, tanquam peritus nauclerus temporibus difficilimis gubernauit.

Vixum est itaq; Rectori Magnifico, Senatuq; Vniuersitatis nostræ amplissimo, viro huic summo, de tota Christi Ecclesia, nobisq; optimè merito, postremum hoc pietatis officium præstandum, eiq; publica hac oratione, quo vel aliquam gratitudinis propter innumera eius in nos, & Remp. Christianam collata beneficia, significationem æderemus, parentandum esse.

Etsi enim nulla vñquam meritorum illius: erga nos memoriam sit deletura obliuio, & in memoria sempiterna sit iustus: siquidem non solum apud Deum vivat, fruaturq; eius conspectu summa felicitate, beatitudine, & gloria, quæ summa bona illi nos inuidere nequaquam decet, sed etiam apud nos, nostramq; posteritatem in tolib; eruditè & p;re ab ipso conscriptis, qui genium habent: nostrarum tamen esse partit proceres huius Scholæ duxerunt, quibuscunq; possumus officijs animi nostri gratitudinem declarare.

Hoc autem munus, cum ante quatriodium mihi à Scholæ nostræ Gubernatoribus, tanquam boui clitellæ, mihi sit impositum, doleo, & quidem vehementer doleo, quod mihi

D. Ioannis Brentij.

5

mihi dicendi imperito hoc sit iniunctum , quodq; vir
tantus in parum idoneum inciderit Oratorem , qui non
pro dignitate illius laudes , virtutes , & merita , non dico
verbis ornare , sed ne quidem describere saltem , & enarrare
rare possum .

Fateor enim ingenue , & absq; mea confessione audi-
tores intellecturi hoc erant , me neq; ab arte , neq; inge-
nio , vel rerum vsu , ea dicendi facultate instructum , vt
mea oratio par laudibus eius esse queat . Ac sentio , quam
illa , quæ à me requirebantur , in me non modo sint exi-
guæ , sed prorsus nulla : ideoq; maluisse cuiusvis potius ,
quam mihi has dicendi partes esse demandatas .

Prædicauit hoc nomine Alexander Magnus felicem
Achillem , quod talem virtutum suarum præconem Ho-
merum nactus esset : & ipse non nisi à Lysippo artifice
præstantissimo statuam suam singi voluit .

Veruntamen laborem istum , mihi ab illis , quorum
detrectare imperium , piaculum esse iudico , iniunctum ,
subterfugere nolui : sed de ingenio malui periclitari ,
quam odiosè repugnare .

Cumq; in his conuentibus magno cum applausu , &
bonorum ac doctorum omnium approbatione , auditæ
sint orationes de artium laudibus , alijsq; varijs argumenti
rebus : spero vobis nec ingratam , nec inutilem fore hi-
storiam peritissimi Ecclesiæ gubernatoris , & doctoris
summi nostro tempore . Quæ cum ostendat , qualia fue-
rint postremis his temporibus hinc ab instauratione do-
ctrinæ cœlestis in Ecclesia certamina , format studiosos
rum iudicia , & de multis magnis rebus apprime in vita
utilibus nos admonet . Iuniores quoq; ad discendi curam ,
& studium exuletat , vt melius rerum bonarum & ne-

cessariarum cognitione instructi & præparati, ad Ecclesiam & Remp. accedant. Per se quoq; gratæ sunt historiæ, & non solum bonas mentes delectant, sed etiam ad gratiarum actionem erga Deum accendunt, atq; ad imitandi studium inuitant.

Quæ cum ita habeant, non dubito vos æquis affuturos animis, ac benignas mihi præbituros aures, dum more consueto de Reuerendi nostri Domini Ioannis Brentij vita, præcipua quædam breuiter attingo, & quasi summas ducendo lineas, adumbro potius, quām enarrō: plusq; momenti apud vos, in hoc argumenti genere habitur am veritatem, quām verborum ornatum, & lenocinia. Quod ut faciatis, etiam atq; etiam oro.

Natus est autem anno Domini supra millesimum quadringentesimum nonagesimo nono, in oppido Imperij Vvila: quod hinc tribus distat milliaribus ut scientis, parentibus honestis Martino Brentio, qui illic fungsitus est Magistratus officio, Sculterum vocant, 24. annis, & Catharina Henichia, ipso die D. Ioanni Baptista sacro, vnde & nomen illi à parentibus est datum Ioannes, diuina haud dubie prouidentia. Significat enim gratiosum, quē nos, sicut ipse est interpretatus, vocamus Huldrichum, Talis enim verè fuit, cum quod ad mores, & vitam priuatā, tūm quod ad officiū, quo functus est, prece gratiæ diuinæ per Christum nobis partæ, attinebat.

His ergo suis parentibus ipse postea ~~ad~~ redidit, non corporalia aut caduca, sed spiritualia & cœlestia, panem qui de cœlo descendit, & dat vitam hominibus Filium Dei, hominem & mediatorem factum, agnumq; Dei, cum cognomine suo Baptista monstrans, qui solus & unicus tollit peccatum mundi, ita, ut omnis qui

qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternā.
Quem illi, auditō non tam filio, quām voce verbī diuini,
quod ipsis enarrabat, firma fide apprehendentes, in vera
Propiciatoris & Redemptoris vnici Iesu Christi agnisi-
tione, valere iussis Idolomania, erroribus & superstis-
tionibus Papismi, ex hac misera & æruminosa vita in coe-
lestem patriam migrauerunt. Vnde etiam non in loco
consueto, magia Pontificia consecrato, sed extra oppie-
dum in agro, absq; vllis sacrificiorum ceremonijs abies-
eti & sepulti sunt.

Ab his suis parentibus ab ineunte ætate & ad pietas-
tem consuetam illorum temporum, & ad literarum stu-
dia est adhibitus anno ætatis sue sexto, & elementa pri-
ma Grammatices in patria didicit. Cumq; diuinitus ad
studia esset excitatus, & natus quodammodo, statim in
tenera ætate ingenium, quod nihil mediocre pollicebas-
tur, in eo eluxit, facile percipiens ea, quæ à præceptore
docebantur.

Quare anno ætatis undecimo, Heidelbergam in scho-
lam trivialem à parentibus est missus, ad capiendum ma-
torem ingenij cultum. Vahingam postea concessit, ubi
scholam regebat M. Ioannes Schmidlin, cuius fama tum
longè latēc spargebatur, & artifex singularis in hoc ges-
nere habebatur. Hinc Heidelbergam rediit decimo-
tertio ætatis anno, & in numerum Studiosorum est res-
ceptus.

Florebant illic tum optimarum artium & literarum
studia, renata in Germania, Rodolphi Agricola, Ioan-
nis Reuchlini, & Erasmi diligentia exuscitata. Vbi anno
ætatis sue decimoquinto primæ laureæ honores est con-
secutus,

Vsus est Præceptoribus in Artibus Theobaldo Billi-
cano, Ioanne Knellero, qui postea ad summos honores
est electus, Consiliarius inuictissimi Imperatoris Caro-
li quinti factus: in Græca lingua, Ioanne Oecolampas-
dio viro linguarum peritissimo: in Hebræa vero Iudæo
quodam Hispano Matthæo, qui nostris sacris initiatus
erat, & Doctor Medicinæ postea factus est: in Theolo-
gia, cui totum postea se dedit, Doctore Petro Scheiben-
hart, D. Georgio Nigri, & alio quodam D. Marco N.

Coæquales, & in studijs socios habuit D. Philippum
Melanthonem Præceptorem meum fidelissimum & cha-
rissimum, Martinum Bucerum, Reuerendum & clarissi-
sum virum D. D. Erhardum Snepffium, quem hono-
ris causa nomino, Professorem postea Theologiae & Pa-
storem Ecclesiæ hic apud nos, Præceptorem olim meū,
& patrem clarissimi viri D. D. Theodorici Snepffij, col-
legæ mei, qui patri in vtroq; successit: Martinum Frech-
tum Theologiae Licentiatum, & etiā Professorem huius
Scholæ, aliosq; viros doctissimos, qui omnes & singuli
in artibus bonis, Philosophia, linguis, literis & Theolo-
gia excelluerunt, & præclara fuere Ecclesiæ lumina,
quibus valde familiariter postea in omni vita vsus est.
Quibus merito annumerandus est virtute, eruditione,
sapientia, rerum vsu, eloquentia, grauitate præstantis.
vir D. Ioannes Fesslerus, Iuris vtriusq; D. clarissimus &
celeberrimus, Cancellarius VVirtembergicus dignissi-
mus, Dominus & affinis meus honorandus, qui, vt ille
Ecclesiam huius Ducatus, ita hic Remp. rexit, vterque
inserviuit, hoc enim nomine omnibus Consiliarijs &
aulicis reliquis antecellit.

D. Ioannis Brentij.

9

His itaq; Noster studijs annos aliquot consumpsit, diligenter summa, studio inimitabili, vigilijs maximis. Memini me ex ipso audire aliquando, cum à me de iuuentutis sua studijs interrogaretur, quod ferè dies & noctes in adolescentia & iuuentute studendo continuauerit, quodq; plerunq; statim post medium noctis surrexerit: fratremq; qui adhuc est in viuis iuniorem, arrepto pulvinari vna hypocaustum ingressum, illoq; capiti supposito dormientem, solati causa ponè lucubranti affuisse. Contraxit hinc assidua consuetudine sibi malū & yrritac, quod deinde per omnem vitam durauit, vt post medium noctis parum, aut nihil dormire amplius potuerit. Vnde postea temporis successu, nocturnas illas horas, quas dusebat insomnes, pījs sacrarum literarum meditationibus tribuit, quas, postquam surrexisset, in chartas coniecit. In senectute quoq; vt vigiliarum molestias leuaret, arte quadam & industria, quod ipsi vīdimus, candelabrum iuxta lectulum, in quod dormire solebat, extrui curauit, vt etiam in lecto sedens, si quando surgere non liberet, legere & scribere ad lucernam quæ erant necessaria, posset.

Miramur & quidem non immerito, discendi pertinaciam in Philosopho Aristotele, quæ tanta fuit, vt globum lucubrans in manu teneret, supposita pelui, ne somno opprimeretur, sed eo ipsum inuadente, nutanti decedens, ipsum excitaret.

Sed quid de Nostri Ολοκλήρωμα sumus dicturi, qui ne quidem in graui & summa senectute, & ferè iam alterum pedem in sepulchro habens, facere officium neglexit?

Cum igitur ingenio esset felici, & omnium disciplinarum capaci, & accederet diligentia illa, de qua diximus

B. mus

mus summa, præterea memoriam haberet fidam, vt eo
rum quæ legeret, nō facile eum caperet obliuio, sed eius
beneficio retineret, factum est, vt breui temporis spacio
in dicendi artibus, linguis tribus, Philosophia Aristote-
lica tantos ficeret progressus, vt non solum Magisterij
titulo ornaretur, quod factum est anno ætatis decimo
octavo, à Christi nativitate decimoseptimo, veri metia
in tenera ætate contubernij Rector sit illic creatus, &
non multo post Quodlibetoriam, vt vocarunt, propos-
uerit ac defenderit Disputationem.

Professus est illic summulas Petri Hispani, Versorem
vulgo vocant, Dialecticam Rodolphi Agricolæ, Sue-
tonium, Græcam Grammaticam, & Homerum, idqz
triennio.

Quod de studijs iuuentutis dicere breuiter volui, nec
enim opus esse iudicaui multis verbis, quod scripta viri
doctissima, plurima & varia, inspersis passim ex optimis
quibusqz Græcorum & Latinorum authoribus orna-
mentis, ipsa loquantur.

Hæc autem eò attingere libuit, vt hoc exemplo pro-
posito, iuventus nostra ad diligentiam, assiduitatem &
descendi studium excitaretur, atqz ad imitationem inui-
taretur.

De Themistocle scribitur, quod tanta fuerit in eo glo-
ræ cupiditas, vt affirmaret Miltiadis Trophæum sibi
somnum eripere. Quæ igitur est multorum somnolentia,
qui veterus, quo multi ferè opprimuntur, cum studijs
erat inuigilandum? Periculum etiam est, ne forte plures
nocturno tempore symposijs interesse, quam libris assi-
dere, & inuigilare studijs, reperiantur. Sed ad nostrum
Reuerendum D. Brentium, vnde digressa est oratio, rea-
uertatur.

Doctrina

Doctrina Religionis de fidei iustificatione gratuita, Christi Mediatoris vniuersitatis beneficij, de pœnitentia, Sacramentis, vera Dei invocatione, & alijs partibus doctrinæ coelestis, vt notum est, tum densissimis tenebris erant iuuoluta, & horrendis erroribus obscurata, desprauata & corrupta: recepta, & in Scholas atq; Ecclesiastis iuincta multiplex Idolomania, rixæ & disputaciones scholasticorum Doctorum spinosissimæ, quibus res bonas, utiles, & Theologicas materias non explicauerunt, sed labyrinthis Disputationum omnia iuuoluerunt.

Subsecuta autem sunt feliora & lætiora tempora, excitato diuinitus ad repurgandam doctrinam coelestem, viro Reuerendo D. D. Martino Lutheru, sanctæ memoriae, cuius æditis scriptis, lux noua exorta est in Germania, dispulsi densissimis tenebris, quæ obfuscabant Sacrosanctæ scripturæ, & doctrinæ Religionis, quæ per illud electum Dei & Spiritus sancti organon, pristino nitorि restituta est.

Quod ingens Dei beneficium ut Noster lætus agnoscit, & grata mente amplexus est, seq; plurimum adiutum lectione scriptorum ipsius est professus: ita nos quoque toto pectore patri liberatoris nostri Iesu Christi maximas quas possumus agere gratias, decet, pro dono inece narrabili restitutæ & accensæ lucis verbí diuiní per hæc organa electa D. Martinum Lutherum, & D. Brentium. Nec enim nobis ita sordent, sicut aduersarij & calumniatoribus, qui cum viua Spiritus sancti in ipsis habitantib; eosq; illustrantis templo fuerint, salutaria multa Deus per illos operatus est, & felices dedit ac placidos euentus.

Oratio de vita & morte

Eodem enim quo diximus anno, Reverendus D. D. Martinus Lutherus (quem, Deo sit laus, ego quoq; quin quennium auditui) Disputationem contra Indulgencias Pontificias ædedit, sequenti vero anno ipsemet Heidelbergam venit, ibiç v i. Calend. Maij Disputationem de Iustificatione proposuit, negans operibus proprijs hominem coram Deo iustitiam consequi. Nihil etiam ad hoc conferre Liberum arbitrium, quod res sit de solo titulo: sed qui sine operibus multum credat in Christum, hunc esse coram Deo iustum, & æternam consequi salutem & vitam, idç se, quod tum videbatur, vt ipse quoq; appellabat Paradoxon, ex sacra scriptura, & D. Augustino probaturum.

His motus Noster D. Lutherum accessit, & multa familiariter, licet iuuenis, cum ipso contulit, & interrogavit. Aediti sunt postea VVittenbergæ & à D. Luthero & D. Philippo, qui eodem anno ex hac nostra Schola VVittenbergam est euocatus, alijs libelli, Commentarij Martini Lutheri in Epistolam ad Galatas, Hypotypoſeis seu Loci communes Philippi primi. Quibus à nostro auidi lectis, & collatis cum ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, ita est confirmatus, vt studioſis in contubernio Realium, Matthæum Euangelistam enarrare cœperit. Vnde tantus est factus concursus, ex alijs quoq; Collegijs non paucis confluentibus, vt locus iste non amplius capere illos posset, quare in auditorium facultatis Artium concessit. Conflauit illi odium & inuidiam frequens ille auditorum concursus apud Theologos, & vt odio suo honestam prætexerent causam, prophanum esse aiebant in tali loco, & à persona nondum ſacris initiata, Theologi tractari. Ideoq; vt in ſuſcepto exercitio, ad quod diuinitus

diuinitus erat excitatus, & mouebatur, absq; impedimento pergere posset, ibidem in collegium Canonicos rum ad Spiritum S. est ascitus, & sacris iniciatus, in patria primitias celebrauit. Postea Heidelbergam reuersus, vbi aliquoties vices alterius pro concione populari obiuit, & gratus fuit auditoribus. Interea vero nihil omnus sacra & prophanos autores docuit, suisq; enarrauit, & inter cætera quoq; Epistolam ad Hebraeos.

Vacabat tum Halæ Sueorum munus Ecclesiastis, quod intelligens D. Isenmannus, patriæ optimè consulum & prospectum cupiens, significat cuidam ex ordine Senatorio, penes quem potestas illa conducendi concionatorem erat, si eruditum quendam Magistrum recipere vellent, se daturum operam, ut facile talis copiam habere possint. Hoc ipsum refert ille ad Senatum, cui placet, occasionem illam tam commode oblatam, non esse negligendam. Mandatum itaq; accipit à Magistratu, vt in patriam redeat, adducto secum futuro Ecclesiaste, quod & factum est. Rogatus itaq; D. Brentius specimen pro publica concione ædit in die Nativitatis Mariæ, anno XXII. à Christi nativitate, vbi non solum expectationi satisfecit, sed eam superauit. Placebant enim mores, grauitas, gestus, doctrina, sermonis genus, vox, & quæ ad officium pertinebant omnia, nisi quod ætatem in illo desiderarent grandiorem, natus enim tantum erat annos viginti tres, nec tamen illa se impediri passi sunt: operam itaq; illius conducunt pro annuo salario octoginta florenorum.

Etsi igitur iuuenis erat, tamen grauitate, vita sanctis monia, morum integritate, quodq; officium sibi demans datum, ad quod diuinitus erat vocatus, fideliter & cum

authoritate faceret , tantum per Dei gratiam effectis , ne quis propter iuuentutem cum contemneret , sed ut omnium non solum ora & oculos in se conuerteret , verum animos etiam verbo Dei inclinaret , quo pristinis erroribus & doctrinis Scribarum & Phariseorum , quos secundum hactenus aluerant , valedicerent , qui & ipsi paulo post partim iniussi , quod sua execrata sacra in vacuo theatro ab auditoribus & spectatoribus destituti , facere erubescentes , in alia se contulere loca , partim vero conuersi , partim etiam morte sunt abrepti .

Magna autem in concionibus popularibus usus est prudentia & modestia , initio cum haberet aduersarios vehementissimos , inter quos praecipui erat Guardianus Theologiae Licentius , & Lector Monasterij ordinis Minorum , qui conspirantes saeviebant importunis suis clamoribus & Sophistica errores suos defendentes . Quae cum inde sinenter facerent fulminando , & virus suu euomendo Dominicis & festis diebus , matutinis concionibus in magna populi frequentia : a prandio multo consuebant frequentius , sperantes Ecclesiasten suum eadem usurum vehementia , in suorum dogmatum defensione , & par pari relaturum . Verum ille prudenter dissimulabat ad tempus , & suo more docere pergebat , doctrinæ Christianæ fundamenta iaciendo , meritumque Christi unici Redemptoris fide apprehendendum , sedulo & fideliter inculcabant . Deinde ubi cōmoda se offerebat occasio , breuissime & modestè perspicuis sacræ scripturæ testimonij aduersariorum dogmata & clamores refutans , haec pugnare cum illis ostendens . Ita ut tandem plerique Papisticam Isdolomaniam , dogmata , & superstitiones detestarentur . Interea ipse quoque Missam interdum celebrabat , sed non

non pro defunctis offerebat, verum tantum Angelicam, quam sic vocant, legebat Missam. Sequenti anno, qui erat **XIII**. Dominus Ioannes Isenmannus à Senatu in patriam quoque vocatur, ut defuncto Pastori succedat. Is autem sacros ordines nondum suscepserat, sed tantum minores, Subdiaconus enim erat. Hic non solum eadem cum Nostro docebat, sed impias Papistim ceremonias abrogare incipiebat, quare odium multorum sibi confluuit, præsertim cum D. Brentius quoque Missas celebrassem. Hic Noster publicè se excusauit pro concione auditoribus, rationem sui consilij exponens in hanc sententiam: Optimi auditores, audio quosdam vestram nostris actionibus offendit: & quidem verum est, ego quoque aliquoties Missam hec apud vos celebravi, sed non per omnia Sacrificulorum more, impietate horrenda, sacrificij scilicet oblatione pro viuis & defunctis, omissa: idque propter vos à me factum est. Nam cum primum hoc à vobis essem vocatus, in profundum Idolatriæ vos immersos reperi, ideo aliquid erat faciendum: & ad vos in lacum descendit, ut vos educerem, & liberarem pauperatum erudiendo, & non nihil etiam, exemplo Apostoli, ad tempus cedendo & simulando. Iam vero rectius ex verbo Dei à me estis instituti, & horrendam Missæ abominationem, & cœnæ Dominicæ prophanationem intelligitis. Ideo abroganda.

Prudenter itaque & fideliter suscepto munere fungens, simul discendo & legendo multa priuatum, & docendo publicè, semper magis, magisque profecit. Librosque Scripturæ sacræ, quos populariter explicabat, Commentarijs illustratos, typis euulgare coepit. In quo genere valde utiliter laborauit, genuinum Propheticorum & Apostolicorum

stolicorum scriptorum sensum , magna perspicuitate & facilitate enarrans, tantumq; præstítit, Dei beneficio, ut ferè tota Biblia Commentarijs ipsius explicata simus habituri. Plurima enim adhuc apud hæredes ipsius habentur, quæ, quod aliorum labores in hoc scribendi & commentandi genere , suis ipse præferret (alienus enim fuit sicut à Θλογεντιώ, sic etiam à Θλαυτίᾳ) suppressit ipse.

Enarrationes eius viri luculentissimæ sunt, puræ, valde familiares, & secundum cognomen verè Brentianæ. Est enim Brentius fluuius, qui in hoc Ducatu prope Monasterium, cui nomen est à Regio fonte, qui & ipse ē regione illius est, oritur, meamq; patriam Giengam præterabitur, adeo limpidus, vt puriorem & limpidiorem aquam nusquam locorum viderim.

Pateret h̄c mihi, quod omnes facile intelligitis, latissimus campus, & materia copiosissima de scriptis ipsius plurimis, optimis & utilissimis, Exegeticis & Polemicis dicendi : sed quia nimis hoc foret prolixum, instituti nostri ratio non fert, cum multa alia nobis restent, hoc copiosius persequi, præsertim cum omnia per Tomos digesta, ædenda sint, vt certe luce sunt dignissima, vbi opus ipsum commendabit artificem.

Et sufficiat nobis in præsentia summi Theologi, Reverendi D.D. Martini Lutheri iudicium, qui hæc longe suis præfert. In hæc enim verba ad ipsum scriptis (excusa est Epistola anno X L I I I I . & præfixa expositioni Prophetæ Amos) : Ego vero, inquit, præter hoc generale encionion spiritus, de tuis scriptis sic sentio, vt mihi vehementer sordeant mea, vbi tuis, tuicq; similium scriptis comparantur, non adulor, neq; singo, sed neq; ludo, neq; fallor, non Brentium, sed spiritum prædico, qui in te suauior,

suauior, placidior, quietior est. Deinde dicendi artibus
instructus, purius, luculentius, & nitidius fluit, itaq; mai-
gis afficit & delectat. Meus verò præterquam quod ar-
tibus dicendi imperitus & incultus, nihil nisi syluam &
chaos verborum euomit. Tum etiam eo fato agitur, ve-
tibulentus & impetuosis, & velut luctator cum mons-
stris infinitis semper congregandi cogatur, itaq; si licet par-
uis componere magna, mihi de quadruplici spiritu Eliæ,
4. Reg. 19. ventus, motus, & ignis, qui montes subuers-
tit, & petras conterit: tibi autem, & tui similibus, sibilus
ille blandus auræ tenuis, qui refrigeret, contigit. Ita fit, vt
etiam mihi ipsi, nedum alijs, gratiora sint scripta & ver-
ba vestra, &c.

Inciderunt postea tempora valde periculosa, mota se-
ditione ab Agricolis per totam fere Germaniam, qui
perperam & carnaliter, vt olim Iudæi de suo Messia, scri-
pturam sacram, & Euangelij doctrinam de spirituali lis-
bertate à peccatis per Christum parta loquentem, pro
carnali sua stultitia potius, quam prudentia accipientes,
libello quodam euulgato per faces, & tubas seditionis,
Miintzerum, Pfeifferum, Storckium, Hetzerum, &
consimilia monstra, duodecim articulos Magistratibus
proposuerant, quibus sibi carnalem hanc libertatem de-
beri Scripturæ testimonij detortis probare conabantur.

Hic Noster in summo versabatur periculo, quod nō
nulli, sicut semper & vbiq; fieri consuevit, neglecta ani-
mæ salute, & doctrina salutari, alijs rebus intenti, cadu-
ca tantum quærentes, causam horum malorum Bren-
tio, qui visitatum tum doctrinæ genus & ritus Ecclesiæ
sticos mutauerat, adscriberent, illum reum postulant.
Iam enim rustici Hallensium iurisdictioni subiecti, &

C ipsi

ipsi inter se , & cum alijs vicinis contra suum Magistratum conspirauerant, arma cooperant, bellum & obsidionem denunciarant. Hic multorum ciuium animi nutabant, Magistratus & ipse in magna erat trepidatione, & facili momento fieri potuisset , vt & ipsi ad partes rusticas eorum seditionis metu perculsi, concessissent.

In quanto periculo hic Noster fuerit, furentibus Agricolis, & nemini, cuiuscunq; ordinis aut dignitatis esset, parcentibus, vulgi etiam animis mutatis, facile quisquis, me etiam tacente intelligit. Sed non tam de sua, quam suorum salute sollicitus fuit, eorumq; animos fractos & perturbatos verbo Dei erigit, consolatur, confirmat. Magistratumq; de suo officio admonet, vt arma capiat, & fortiter rebellibus se opponat, Deum affuturum, & felicem daturum euentum, sicut etiam factum est. Ciuium enim sexenti, quatuor millia rusticorum in fugam verserunt, postea tamen in gratiam sunt recepti, nec saeuatum in illos.

Seditiosum illud scriptum à Cancellario Electoris Ludoici Palatini Rheni, Heidelberg ad nostrum est transmissum, vt iudicium suum de illo declararet, num videlicet Rustici recte ex Scriptura sacra sententiam suam probarent. Respondit is, nequaquam illorum opinionem & propositum cum hac congruere. Deinde & Magistratum & subditos de suo officio docet & commo- nefacit, atq; ita è Scripturæ fundamentis monstrata falsitate, egregie illos refutauit. Quemadmodum antesignanus ipsius Reuerendus D. D. Martinus Lutherus mulieris hoc ipsum, æditis libellis in summa omnium Principum trepidatione egit, sicut in hoc argumenti genere utriusq; scripta ædita, testantur.

Et

Ertamen horum nulla prorsus habita ratione , aduersarij nostri , maleferenti homines , ne quid dicam grauius , partim in gratiam sui Idoli Pontificis Romani , Antichristi κόλακος , partim odio sincerae doctrinæ , ut alios ab illa deterrent , & animis Magistratus politici odium instillent aduersus nos , nostramq; doctrinam vociferari non desinunt , Lutherum sua doctrina plebeculam rusticam concitasse aduersus Magistratum . Quæ est vanitas & impudentia , mentiendiq; libido , si hæc non est ? Sed dudum aures nostræ talibus calumnij & mendacijs illorum sunt assuetæ , & obsurduerunt . Cum enim ex sacra Scriptura veritatem doctrinæ nostræ refutare nequeant , talia mendacia confingunt , quibus eam deforment . Quale etiam est argumentum , quod valde plausibiliter de nostris dissidijs & sua concordia in vulgus imperitum spargunt , ut quocunq; modo suos in officio & usitatis erroribus retineant . Sed commune hoc habemus conuicium cum Christo , qui publicè in iudicio audire coactus est : Cōmóuit populum à Galilæa usq; huc Prohibuit censum dare Cæsari , dicens se Regem esse . Fortassis memores præcepti Medi⁹ Thessali adulatoris Alexandri Magni , cuius hoc erat , quo familiariter utetur : Audacter calumniare , semper hæret aliquid , doctiles sane discipuli . Sed olim præmia digna ferent .

Hoc motu vix sedato , mox dissidiū ingens & horrendum inter nostros ortum est , nō idem omnibus de Cœna Domini sentientibus . Zwinglius .n. Tiguri verā corporis Christi in coena Domini præsentia negabat , Durauit id certamen magno cum scandalō doctrinæ per annos aequali . Ac nescio , an vlla res alia , magis causæ nostræ obseruerit , cursumq; doctrinæ ecclæstis impedierit , quam

odiosum hoc à satana excitatum bellum Sacramentorum, quod omnes p̄ij doluerunt plurimum, & tollere atq; componere studuerunt. Quo consilio Illustrissimus Hassiae Landtgrauius Philippus, consentientibus alijs Marpurgum conuocat vtriusq; partis Theologos doctissimos, & inter hos etiam Nostrum, Factum id est anno Christi XXI X. Colloquebantur duo antesignani soli, D. D. Martinus Lutherus, & Huldrichus Zuinglius. Ibi cum suam sententiam argumentis ex Physicis & Mathematicis, de loco, & positu corporis Christi in cœlo, ac quantitate corporis sumptis, probare totis viribus conaretur Zwinglius. Virum Dei Mar. Luthe. magno spiritu & zelo admonuisse Zwinglium, multi ex Nostro audiuerunt, ac dixisse: Zwingli, noli admiscere huic negocio Mathematica, sed relinquas & omittas in huius causa probatione: nec mysterium hoc per Physica aut Mathematica explices, sicut Athanasius inquit, quosdam carnem Christi γεματηράπ: sed infecto negocio non absq; magno multorū dolore Ecclesiæq; iactura discessum est.

Secuta sunt Comitia Augustana anno XX. vbi nostri in maximo videbantur esse periculo, cum Cæsar Carolus V. cuius multis seculis parem non habuit Imperium Romanum, corā adesset, iam primum à Pontifice digressus, & inaugurate, cum verbis conceptis iurasset, perpetuum se dignitatis Pontificiae fore defensorem. Rumor tum spargebatur, Cæsarem funditus nouū hoc doctrinae genus cum omnibus qui id amplectentes, deleturum & extirpatum, cuiusmodi voces metu puerum audire memini. In magno igitur metu erat omnes nostri, sed latior fuit opinione & expectatione hostium, Deo omnia ita dirigente, exitus.

Principes

Principes enim, qui synceram Euangelij doctrinam amplexi erant, cum civitatibus Imperialibus, Theologos suos secum adduxerant, Inter hos primas tum tenebat D. Philippus, & post hunc, Noster D. Brentius, qui ut ad alia Comitia omnia, Colloquia & Cōuentus, quibus de Religione aliquid est actum, ita ad hæc quoq; Augustanā, ab Illustrissimo Principe ac Domino, Domino Georgio Marchione Brandenburgensi, patre Illustrissimæ nostræ Principis, cuius præcipue tunc constantia est spes stata & laudata, quod in faciem aperte Imperatori dixerit, vitam se potius & sanguinem impendere velle, pateratumq; collum præbere carnifici, quam doctrinam & veritatem agnitā abiūcere, est adductus. Interfuit & D. D. Erhardus Snepffius, & alij Theologi, quibus iniunxerunt, ut summa doctrinæ capita, scripto comprehenserent, quo literis consignata Imperatori exhiberent.

Hæc tum celeberrima illa & piissima doctrinæ Confessio, ab urbe, in qua & scripta, & Inuictiss. Imperatori Carolo v. est exhibita, nomen est sortita, vt Augustana Confessio diceretur. Sicut olim Nicænum Symbolum à Nicæa urbe Bithiniæ, in qua c c x v i i . Episcopi contra Arrium à Constantino Magno Imperatore conuocati, breuiter fidei suæ Confessionem complexi sunt.

Hæc igitur nostra Confessio, magna diligentia, gravissimis deliberationibus, non solum præsentium Theologorum, sed etiam D. Lutheri, qui quidem ab urbe abs erat, sed ita volente Electore Saxoniæ, Coburgi loco viciniore, ad quem omnia per celeres transmittebantur, substiterat, vt communicatis cum ipso consilijs, omnia a gerentur, est conscripta. Qui certe cum in acie nouaculæ omnia esse viderentur, virum se præstitit, & admodum

ex celso fuit animo, quosdam suorum pauidos confirmat. Inquit, piam & iustam causam defendimus, cur Dei processis non confidimus? præter vitam hanc misellam satanas & mundus eripere nobis nihil potest. At vivit, & in sempiternum regnat Christus, in cuius tutela consistit veritas, is nobis aderit, is etiam causam hanc, quæ non nostra, sed ipsius est, ad optatum perducet finem.

Hæc, inquam, illa est Confessio, longè lateque nota omnibus, & hactenus Scripturæ sacræ testimonij à nullo aduersariorum refutata, fortis, invictaque mansit, manet, & manebit aduersus omnes Inferorum portas. Quam cum Eccius & Faber iussi essent refutare, palam testatus est, sacræ Scripturæ testimonij eam euerti non posse. Ne autem omni modo suo silentio turpiter admodum sedarent, quædam arrodere tentauerunt, oppositis testimonij ex Patribus sine ullo iudicio corrasis, ut in specie habere aliquid ex Antiquitate viderentur, quod cum nostra pugnaret doctrina. Sed hæc adeo insulsa fuere, ut etiam Episcoporum iudicio lucem ferre non potuerint, nec yllis precibus Principes nostri ab Imperatore copiam illius Confutationis impetrare potuerunt. Sed obiter perfecta est, nec unquam in lucem venit Lucifugarum Cōfessio, Verum nostris Principibus instantibus & virginibus sibi copias eius communicari, Cæsar tandem respondit, se quidem exhibitrum, sed hac conditione, ne quid eius euulgent, aut excusdi procurent, cum non ignoraret, hac conditione nunquam accepturos. Quod si quid Aduersarij pro sua impudentia, ut sunt canes impudentes, negare voluerint, etiam num hodie Confutationem illam à suis Maioribus conscriptam monstrent. Sed ipsosmet Episcopos Pontificios illius puduit, nec id clam

clam tulerunt exprobrantes suis, quod egregie scilicet sua defenderent. Necdū enim pingendi artem sciebant, quam int̄era didicerunt, vt nouis quæsitis & accersitis coloribus, errores veteres & receptos palliarent, tegerent, pingerent, fingerent & refingerent, sicut nunc nos ui Sophistæ, regni Pontificij patroni, fucum stultæ, imperitæ, & nimis credulæ plebeculæ facere solent. Qua in parte Patres Concilij Tridentini laudem merentur, quod multis in locis aperte, & simpliciter scapham vocant scapham.

In illis ergo Comitijs ciuitates quædam, quod non idem sentirent de Cœna Domini quod nostri, & ut in Confessione nostra Augustana habetur, cum additum esset: Improbant secus docentes, quibus verbis damnari intelligebant Zuuinglianum errorem, quod sæpè ex Nostro, cum de hoc ipso negocio disputaretur, me audire memini, suo eam calculo probare & subscribere noluerunt, nec in Confessione se cum nostris coniungere, sed discedentes ab eis, propriam per suos Theologos conscripsitam Confessionem, Imperatori obtulerunt. Quæ tamē ciuitates, postea melius à concionatoribus suis instructæ ad nos redierunt, nobiscū eadem sentientes & docentes.

Ingentem igitur impudentiam illorum esse necesse est, qui cum Zuuinglianum defendant dogma, quo corporis Christi præsentia vera in Cœna Domini negatur: tamen Confessionis Augustanae (nescio qua de causa) socios se esse, suoq; eā errori patrocinari non imaginantur solum, sed æditis etiam scriptis fidem alijs facere voleant. Nemo etiam tum temporis illorum, qui deliberationibus dum conscriberetur, interfuerunt, Zuuinglianum dogma probabat, sed voce & scriptis æditis, damnabant ex quo omnes,

Durana

Durantibus Comitiis vtriusq[ue] partis Theologi, à quodam magni nominis Episcopo inuitati, ut familiariter de quibusdam Religionis controversijs conferrent, cum ad Sanctorum invocationem esset ventum, Cochlaeus hoc argumento, cùm Scripturæ testimonijs destituetur, adstruere conabatur, quod scilicet Mater Ecclesia Noster subiecit: Quid si autem Pater diuersum præcipiat: Quod inexpectatum responsum homo ille indignissime tulit: Cumq[ue] refutare non posset, aliquoties non sine aliorum molestia ingeminauit, Pater, Pater, Pater.

Etsi autem tunc & à Cæsare & ordinibus Imperij reliquis, qui Romanum Pontificem pro Vniuersali Ecclesiae capite agnoverunt, Confessio ista sit reiecta, & dogmata Antichristi confirmata, additis grauissimis ministris fortunas omnes communicaturos, sanguinem etiam, vitam deniq[ue] ipsam impensuros, vt huic negocio finem imponant: nostri tamen fortiter & constanter in semel agnita veritate, Dei freti auxilio perstiterunt, nec ullis minis se ab illa auelli sunt passi, remq[ue] omnem Deo commiserunt.

Ibidem cum D. Philippus D. Brentium ad aliū quendam Episcopum adduxisset, & dixisset: Reuerendissime Domine, h[ic]c habemus sacerdotem Lutheranum cœlum, h[ic]c illum collaudare, & ad perseverantiam hortari. Cum vero se ad coniugium natum esse intelligeret, de mutando vita genere, postquam finitis Comitiis ad suos rediisset, cogitauit, & vxorem duxit, Margaritam Græterinam, ex honesta illius loci familia oriundam, viduam insigni pietate & pudicitia præditam matronam, ex qua sex suscepit liberos, & quibus superstites sunt tres, Sophia

phia nupta Reuerendo viro D. D. Eberharo Bidenbachio, Abbatii Bebenhusano. Barbara, quam duxit clavisissimus vir D. D. Theodoricus Snepfius. Et filius unus eiusdem cum patre nominis D. D. Ioannes, Professores in hac Schola, collegæ mei honorandi.

Post paucos annos, reparato per Ulricum Principem Illustrissimum, piæ recordationis, hoc Ducatu, animum adiecit ipsius Celsitudo ad repurgandas Ecclesias ab erroribus & Idolomania Papistis, quibus, ut aliae omnes quæ ad Iurisdictionem Pontificiam pertinent, scatebant. Et quia Scholæ publicæ seminaria sunt Ecclesiæ & Reip. & fontes, ex quibus doctrina syncera hauritur, suam quoq; Princeps, pro sua admiranda sapientia, reformare in animum induxit. Quam ad rem viro pio, prudenti, graui, erudito, spectatae fidei, perito, & rerum multarum experientia edocto, opus esse intellexit. Quem cū magno studio inquirit, Brentium nostrū anno XXVI. ad hoc negocium maximè arduum deligit, hunc idoneum esse iudicat, illius operam à Senatu Hallensi per anni spacium, Legatis missis imperat, atq; Commissarium Scholæ constituit, qui ipsius nomine, loco & auctoritate eam reformat, ordinet & constituat. Hic cum Scholæ Professoribus, Camerario, Fuchsio & alijs, utiliter plurima, quibus etiamnum hodie utimur, Ordinationes, Leges, Statuta, & quæ ad Reipub. literariæ gubernationem pertinent, sapienter certè disposuit.

Cumq; adessent etiam alij quidam, qui parum æquiterant, aut honorifice de gradibus Scholasticis, quos vocant, sentirent, ideoq; abrogandos, grauissime Noster se illis opposuit, veterem esse Ecclesiæ consuetudinem ostendens, & Historiarum atq; Canonum monumentis

D confirma-

confirmatum, ne sine publico piorum & probatorum Doctorum testimonio, vlli ad docendum admittantur: & hoc modo ordine disci artes humano generi & vitæ viles: excitari etiam ad maiorem diligentiam iuuentus ingenia, propositis laborum præmijs. Hocq; modo & illis persualit, vt de sua cederent sententia, & apud Illuſtrissimum Principem se obtinuisse mihi commemo rauit, vt in hac Schola Renunciations graduum (qui aliud non sunt, quām publica testimonia eruditionis, pietatis & virtutis) remanserint, sibi hoc à nobis deberi aiebat.

Nec id solum egit, verūm cum esset Quādriagēnius aquæ & die, Exodum, Psalmum L. & alia quædam per illum annum enarravit in hac Schola: & pro concione etiam populum docuit toto isto tempore, quo h̄c fuit. Interim etiam nactus occasionem in Astronomia multa didicit, vt rectè disciplinas Mathematicas intelligeret. Elapso tempore, de quo conuenerat, ad suos redijt.

Instituta postea fuere anni X L. X L I. Colloquia Theologorum de controvëris Articulis Haganoæ, VVor matiæ & Ratisbonæ, quibus vñā cum alijs delectis interfuit. In his quid sit effectum, Acta publice ædita testantur, Non enim temporis angustia, & materiæ copia me his immorari patitur, ideo in historia vitæ ipsius pro gredior.

Anno XLIII. cum mense Augusto reuerendus & clarissimus vir D. D. Paulus Phrygio Constantinus, in hac Schola Theologiæ Professor, & Ecclesiæ huius Pastor, ex hac ærumnosa vita migrasset, de successore Dux Vlricus & Scholæ Proceres sunt solliciti. Post longas & multas deliberationes, in hac itum est sententiam, de creta

creta Legatione ex Aula & Academia , in qua tamen
cum pleriq; in Religione à nobis dissentiebant, reuocan-
dum esse D. Brentium , cuius antea fuerant experti vir-
tutes, eruditionem singularem, mores, ingenium, indu-
strialm. Eius igitur operam expetunt, & ut id bona gratia
fiat, à Senatu Hallensi precibus quibus possunt, contene-
dunt. Verum negant illi se eius posse carere opera , neq;
ille gregem fidei luae commissum, & vocationem pristi-
nam deserere, sibi integrum esse respondit: etsi certè ma-
iori cum fructu & dignitate h̄c docere potuisset. Re igitur
infecta, domum Legati redeunt.

Nouæ iterum postea ortæ sunt tempestates, & tempo-
ra turbulentæ, ac valde tristia, perturbata Germania bel-
lo, quod vulgo vocarunt Smalkaldicum. Cum enim an-
no X L V I . autoritate Imp. & reliquorum ordinum Im-
perij, mense Ianuario, repetitum esset Colloquium Ra-
tisbonæ, vt si quo modo fieri posset, certamina Religio-
nis pacifice componerentur , interfuit more consueto
noster D. Brentius. Sed nunciata morte Reuerendi &
incomparabilis viri D. D. Martini Lutheri, ibi tum stas-
tim animos ceperunt Aduersarij, putantes mortuo iam
antesignano, de nobis, totaq; nostra Religione esse actū.
Proponebantur conditiones de modo & forma Collo-
quij , quæ nostris videbantur valde iniquæ & intollerabiles.
Itaq; abruptum est Colloquium, & non amplius
pacificis & placidis medijs dissidium hoc de causis Reli-
gionis , sed bello dirimendum esse, aduersæ parti visum
est, nosq; opprimendos. In hoc lugubri bello Impera-
tor Carolus superior eusit abscq; prælio, Principibus ab
inimicis discedentibus, atq; ita incruentam reportauit
victoriam. Ciuitates Imperiales Cæsari se dedunt. Cum

igitur Halam Sueuorum venisset Imperator , circa anni
 XLVII. initium cum exercitu, in ipso ingressu D. Bren-
 tius sperans à Capitaneo se immunitatem impetraturū,
 ne militum præsidia in domum suam recipere cogeret
 tur, sicut Sacerdotes eiusmodi gaudent priuilegijs. Do-
 mo itaq; egrediens, familiae mandatum dat, ne, dum re-
 deat, quenquam intromittant: illi dicto audientes obse-
 ruant, pessulum ostio obdunt. Hispani interea tumultua-
 ri, moleste ferentes se domo excludi. Hæc dum sicut, re-
 dit ille, quo domui appropinquante, miles arrepta Ha-
 laparda, pectori D. Brentij mucronem obuerit, seç⁹ il-
 lum, ni mox aperiant, transfixurum, verbis & gestu mi-
 natur. Ianua itaq; mox aperta, irrumptunt. Sed Noster cū
 suis per posticum egreditur, atq; in Xenodochio diuer-
 tit, & pernoctat. Mox in turrim excessam se abdit, illicq;
 aliquandiu latitauit. Postea mutato habitu per medios
 Hispanos tutus transit, & egreditur, dum eum nō agno-
 scerent, diuinitus protectus & liberatus est. Sicut Diuus
 Athanasius , dum fugeret persecutorem in Nilo, auditio
 post tergum suum esse percussorem , nauicula conuersa
 obuiam progreditur, Ille qui nullo modo suspicari potes-
 rat in occursum sibi venire, quem fugientem perseques-
 batur, tanquam prætereuntes aliquos interrogauit, Ec-
 quid vidissent Athanasium ? cumq; respondissent , vi-
 disse se eum non ita longè euntem, Ille quanta potest ce-
 leritate properat capere eum , quem ante oculos posis-
 tum, videre non poterat.

Postquam autem Imperator Hala digressus esset, re-
 dixit Noster, & officium ut antea fecit.

Sequente anno XLVIII. Cæsar iam deuictis Princie-
 pibus, partim etiam captis, Religionis negotium com-
 ponere

ponere pro arbitrio instituit, parato ad hoc per quosdam artifices & logodædalos libro, quem Ordinibus Imperij omnibus proposuit, ac vehementer vrget, vt ab omnibus recipiatur. Conscriptus fuit a Iulio Pflug, Episcopo Naumburgensi, viro alijs valde erudito, Michaële Helsing Suffraganeo, Episcopo Sydoniensi & Mersburgensi, & Ioanne Agricola Islebio. Videbatur is liber, qui iam olim etiam in hunc finem & vsum sub incudem erat vocatus, viam monstrare ad pacem, tranquillitatem, & concordiam Germaniae: & quædam nonnihil in illo priuiora esse, quam in Papatu docentur. Sed reuera abnegatio sincerae Religionis, & reditus erat ad Papismum, cuius errores pleriq; Idolomania multiplex, adeoq; ceteræ remonstræ omnes illuc continebantur & stabiliuntur.

Varia de hoc libro, quem I N T E R I M vocarūt, quod durare eius obseruatio amplius non deberet, quam dō nec per Concilium, quid in fide tenendum esset omnibus Christianis, decerneretur, dicta, scripta, picta, adeoq; decantata sunt.

Ibi tum passim Doctorum iudicia à Magistratibus res quirebantur. Itaq; etiam D. Brentio, & College ipsius D. Isenmanno est exhibitus, vt suam de illo exponerent sententiā: quod etiam bona fide, aperte, & candide fecerunt. Damnarunt enim librum impietatis, eumq; cum tota sacra Scriptura, & fidei analogia, & doctrinam & sermonias in illo Scripto pugnare, docuerunt. Ideoq; se nequamquam probare posse, neq; vnquam quamdiu viuant, recepturos, sed potius vitam profundere per Dei gratiam paratos esse.

Quod postquam Cæsar rescivit, Commissarium Haslam misit cum mandatis, vt vel viuum, vel mortuum

Brentium abduceret, quod hunc inter primos esse iudicaret præcipuum, qui sua auctoritate alios confirmare posset, ideoque plurimum referre arbitrabatur, si e medio esset sublatus.

Fuerunt autem tum non vulgares, sed sapientia polentes, qui haec omnia inscio Imperatore Carolo fieri iudicabant, per alium quendam, qui præcipua auctoritate apud Imperatorem valebat plurimum, cuius & consilio Augustae concionatores electi, & Vlma captiui sunt abducti.

Commissarius hic Cæsaris cum Halam venisset, initio dissimulare omnia, & Brentium ad se inuitare, ac benigne tractare coepit. Deinde clam abducere, iam in hoc paratis equis, tentauit. Sed cum hac non succederet, Senatum ciuitatis conuocat, eumque iuramento adstringit, ut nihil eorum ullo modo, quæ ipsis sit propositurus, enuncient. Quo praestito ab omnibus, exponit se in mandatis habere, ut Ecclesiasten Brentium secum abducatur: quod si sua sponte illum sibi tradant, bene, & Imperatori rem ipsos gratam facturos, sin minus, sensuros iratum, qui oppidum sit oppressurus, & alias horrendas minas addit.

Accidit tum, Deo ita disponente, ut unus ex ordine Senatorio tardius, iam praestito iuramento, adueniret, cumque Legatus Cæsar is totus in hoc esset, ut persuaderet Senatui, non curauit serius aduenientem, nec iuramentum ab illo exegit. Misso iam Senatu, ille e vestigio schesdam scribit, in haec verba: Fuge, fuge, Brenti, citio, citius, citissime. Quæ scheda cum illi esset oblata per D. Isenmannum, amicum fidissimum, sedenti in cœna cum uxore & liberis, in ipsa die Ioannis Baptista, cum hilarius

rius cum ipsis viueret, statim de mensa surrexit, negotiū quoddam simulans, quo peracto, mox sit reuersurus: & egressus est ex vrbe, comitante ipsum Achate suo Isenmanno. Non procul à porta obuium habuit Commissarium, qui interrogat, ecquorum sit abiturus: respondit Noster, esse in suburbio amicūm ægrotum, qui eius presentiam experat. Benē est, inquit ille, cras vt conuenit inter nos, mecum eris in prādio: subiecit ille, Deo volente, atq; ita abiit, nesciens quō se conferret.

Rursum igitur fuga, rursum latebrae, sicut Eusebius de Diuo Athanasio scribit. In sylva enim quadam densissima per diem latitauit, Vespere sub crepusculum certum quendam in locum rediit ad suos, qui in pago quodam ignoti erant, hospitium præbente Nobile. Mane sub auroram repetiuit suas latebras, ne à quoquam per diem conficeretur, idq; per hebdomadas aliquot factum est.

Quod itaq; fuga sibi consuluit in summo vitæ discri mine positus, nullam meretur reprehensionem, sed Salvatoris nostri in hoc sequutus mandatum. Præcipue cum non vniuersalis esset persecutio, sed persona tantum ipsius ad mortem quæreretur, reliqui enim Symmictæ non petebantur. In quo casu D. Augustinus quoq; fugientem esse docet.

Interea Hallensibus operam suam deniro obtulit, num ea possent aut vellent uti, se paratum esse facere officiū, nec deserturum Ecclesiam suæ fidei commissam, et si cum periculo res ea sit coniuncta, nolle tamen se illis esse gravuem, aut propter se ipsos periclitari, cum intelligat se, licet immeritum, in Cæsaris esse indignatione. Illi vero negare se posse illum retinere, ideoq; sua venia licere, ut sibi

Oratio de vita & morte.

sibi quocunq; posset modo, suisq; rebus, alibi commos-
dius prospiceret.

Hospitium itaq; illi oblatum est ab Illustrissimo nos-
tro tum Principe Ulrico, felicis recordationis, qui, sicut
Abdias, Prophetas Domini tempore persecutionis sub
Idolatria Ahab, hunc Nostrum abscondit, clementer
officijs tanto Principe dignis fuit, & certo loco occula-
tari per intimū suum Secretarium, Iacobum nomine, se
in scio, voluit, vt, cum sciret eum in Cæsaris indignatione
mare posset, se vbi nam locorum esset, ignorare. Et pru-
dentem Principem non fecellit animus. Cum enim sub
illud tempus pius quidam Praefectus esset in arce VVirt-
enberg, qui frequenter vicinarum Ecclesiarum Pasto-
res ad se euocabat in arcem, suspicio inde, & mox ex sus-
picione rumor quidam obscurus est exortus, Brentium
illic latitare, quem illi salutatum accendant. Quod cum il-
li, per quem haec omnia, nomine Cæsar, vt diximus, age-
bantur, renunciatum esset, illico Commissarium cum
mandato ad Ulricum Ducem misit, qui ē vicinis locis,
sicut tum passim in agro VVirtenbergensi præsidia His-
panorum erant, militum copias intempesta nocte euo-
cat, ijsq; arcem VVirtenberg tacite circundat. Ipse sta-
stim per celeres recta ad Principem Nürtingam, si recte
memini, contendit, & concubia nocte sibi ex mandato
Imperatoris aditum ad Principem vult patefieri. Haec
cum p̄issimo Principi essent indicata, exponere iubet
cum mandata. Ille significat Cæsaream Maiestatem cers-
tiorem esse redditam, latitare quendam suum hostem in
arce VVirtenberg, ideoq; reserari iam velle arcem nulla
interposita mora, & quæri illum. Quod cum Princeps
intel

Intellexisset, statim ad se vocat Secretarium, qui solus erat conscientius, & querit, num illic sit Brentius, an non? Negat ille: denuo querit, num certo sciat; illo affirmante, permittit Princeps, ut Commissarius aperta illi arce, querat, si quem inueniat. Erat autem tum temporis Novus non in arce VVirtenberg, sed VVittlingen, ubi meditatus est Commentarium in Psalmum 93. Deus vocationum Dominus, &c. Et dum ad mortem quereretur, ignarus omnium, securus dormiuit.

Quo facto, in loca tutiora, Basileā se contulit Princeps sumptus suppeditante, quibus & ipse, & familia alibi de gens, aleretur. Humanissime aut & perbenigne exceptus illic est & tractatus. Tum vxor illius Margareta diem suum obiit, tare consumpta, ne scilicet exiliū calamitas sola esset: quare alia ineunda erat cū liberis ratio. Itaq; in extrema huius Ducatus ora & herciniā sylua, in arcem, que est supra oppidum Horrenberg, cum suis liberis est collocatus, ubi mutato nonnihil habitu, se titulo Praefecti arcis venditauit, & liberos secum habuit, vt hoc qualis cunctū praetextu se tegeret, ac suspicione liberaret, cum in illis locis omnibus esset ignotus, nec peregrini illāc transire soleant. Seçp; mutato nomine Huldrich Engster nominavit, ex proprio Hebraeo nomine, æquivalens Germanicum, & ex cognomine Germanico, Græcū γερμανος, nonnihil deflexa voce, vt germanicum sonaret, faciens.

Frequentare solebat conciones: cumq; modeste Pastorem, qui ex vicino pago Guttach, defuncto oppidi Pastore, alias bonum & piū virum, admoneret, ne cōciones ita in longum protraheret tempus, ille nonnihil vel molestē ferens se à Praefecto sui officij admoneri, vel ut ioco vicissim eluderet, respondit: Vobis Praefectis

Oratio de vita & morte

omnis mora in templo est molesta, sed non æquè in symposijs : subrisit Noster, & grata illi fuit Pastoris parochia, & se Præfectum & agnoscere & haberi.

Nec tamen per omnia bene potuit simulare Præfetum, Nam nec more plœrorumq; istius farinae hominum diras execrationes & blasphemias nominis Diuini euomere, nec compotationibus ad æquales haustus (et si symposia interdum accederet, vt scœnæ inseruiret) in dulgebat, aut alia similia facere solebat, quod alij multi sibi permittunt. Ideoq; ciues illius oppidi varia de hoc Præfecto cogitabant & loquebantur.

Accidit postea, vt hic ipse Pastor lethaliter decumbesret, hic Noster illum ex officio quasi vicinitatis, & tanquam suum Pastorem humanitatis causa inuisit, quod multas ex ipso audiuerit salutares conciones, easq; repetiuit, & vt iam seipsum ijs, quibus alios solitus sit, consolaretur, admonuit. Quibus Pastor auditis suauissimis cōsolationibus & verbis vitæ, erupit in hæc verba : O Domine, non es verus Præfetus, quamvis studiose similes, quicunq; tandem sies.

Sic Athanasius sex continuos annos latitasse scribitur, donec tandem ex indicio ancillæ, quæ conscientia erat, proderetur. Sed diuinitus admonitus, ea ipsa nocte, quæ venturi erant ad comprehendendum eum, in aliud miseravit locum.

Hic Noster Præfetus non causas Politicas cognoscebat, ab his enim immunis erat, & priuilegio quodam Principis exemptus, & tantum titulotenus Præfetus erat : sed meditationibus pijs & Scriptionibus operam dedit. Illic enim Commentarios in Isaiam Hale coepitos, feliciter in solitudine absolvit. Illic etiam Catechismi explanationem

plicationem scripsit, qua errores Pontificios & Interis
misticos plætoscq; non solum detexit, sed ex fundamen-
tis sacrae Scripturæ refutauit, suam Confessionem ædi-
dit, Ecclesiamq; tempore tristissimo confirmauit.

Interea maximis stipendijs vocatus est à Magdebur-
gensibus. Rege Angliae Eduardo amplissimis promissio-
nibus. Duce Borussiæ Alberto Brandenburgico senio-
re, Episcopatum offerente.

Ex Consiliarijs Illustrissimi Principis D. D. Georgij
Friderici Marchionis Brandenburgici, Studigardiae au-
diui in Cancellaria anno L I. cum accederent D. Bren-
tium & salutarent, dicentibus: Hunc virum vbius ferè
locorum quæsiuimus, sed nusquam reperiire potuimus.
volentes eum ad nos pertrahere.

Sed moueri se passus non est, quantumvis splendidis
& amplissimis stipendijs & muneribus, ut propter pecu-
niā exteris potius, quam patriæ operam suam addic-
ret. Nec quicquam lucri aut commodi sui gratia, facere
voluit. Munera etiam vere Regia respuit.

Vnde quanta sit iniquitas, & quam prava Sycophans-
tarum quorundam iudicia, qui perpetuo vnicum hoc in
ore habent, & se mirificè, tanquam nescio qua Margarita
reperta, oblectant, dum Theologos auaros, & insatiables
esse vociferantur: Ipsi interim inexplebiles, auarissi-
mi, & rapacissimæ harpiae, qui quod sibi solis non ces-
dit, omne id male perijisse censem.

Biennium itaq; sic in exilio varia fortuna factatus, &
Incertis vagatus sedibus, quod sibi nullius criminis cons-
cius esset, propius huc concessit, & ad M. Ioannem Mo-
litorem, Pastorem in Megerkingen, locum verè solita-
rium, & ab hominum conuersatione remotum in Alpic-

bus, se circa autumnum anni L. contulit. Quo tempore
Illustrissimus piae memore Dux Ulricus hic mense No-
vemb. fatis concessit.

Huic cum succederet filius Christophorus, Princeps
noster Illustrissimus, qui omnium laudes pietate, & om-
nis generis virtutibus Principe dignis, longe superat, &
laudatus sua sponte, non alterius testimonio indiget, sta-
tim initio suscepta Gubernatione, de instauratione Ec-
clesiarum suarum ditionis cogitat. Et D. Brentium ut com-
municatis cum ipso consilijs omnia fierent, ad se vocat.
Nec clam id fert, sed secum Studtgardiae in arce sua fouet
palam. Ecclesijs omnibus & singulis idonei præficiuntur
passim ministri, qui dispersos sub INTERIM gres-
ges colligerent. Tametsi multi Principes & Episcopi
eum ab hoc pio instituto sint dehortati, ne sibi suisq[ue] pec-
ticulum crearet, repudiato Interim, eiectis Sacrificulis,
qui in locis quibusdam Missatum suas demurmurabat.
Sed Heros vere Christophorus fortiter, tanquam immo-
ta rupes constitit, non curans minas diras, quodq[ue] Im-
perator victor, qui omnibus terrori erat, Augustae in vi-
cinia, præsidia, & illic, & in huius Ducatus arcibus, &
oppidis munitissimis habebat, librumq[ue] à se de Religio-
ne promulgatum, ab omnibus recipi vellet.

Sed cum in Recessu Comitiorum Imperialium præ-
cedentis anni haberetur, vt si quid Imperij Ordines ha-
berent, quod ad pacem & concordiam facere iudicarent,
Concilio proponerent: conscribi eius Celsitudo Con-
fessionem de præcipuis doctrinæ Christianæ, & articulis
controversiis a Brentio voluit, Concilio offerendam, & à
Theologis defendendam.

Quod ab ipso factum est post initium anni L. I. Con-
uocari

uocari autem voluit, præcipuos huius ditionis Theologos numero circiter decem, & communicato cum ijs consilio omnia agi, quod communis esset futura omnium Ministerorum Confessio, & quod, ut dicere solebat, viserent oculi, quod non videt oculus, quæ ipsius fuit modestia, humanitas, & prudentia. Hanc igitur diligenter per dies multos ad analogiam fidei, Scripta Prophetica, & Apostolica examinauimus, nostraq; subscriptione adprobauimus.

Hoc tempore alteram D. Brentius duxit vxorem, Catharinam, ex D. Isenmanni familia virginem, multis egregijs virtutibus matrona honesta dignis, ornatam, quæ ipsum per omnem vitam reliquam & iā annis grauem, summa obseruantia & studio coluit, & fouit. Norat enim illud Salomonis: Væ homini soli. Nec curabat impiæ Pontificum de Sacerdote bigamo Decreta, cum sacra Scriptura pugnantia, Non enim digamus est, qui priori coniuge mortua, alteram vt castè viuat, ducit. Ex hac suscepit liberos duodecim, e quibus supersunt adhuc decem. Maior natu filia, viuo & recte adhuc valente D. Brentio, desponsata est venerando & docto viro, M. Iacobō Gærting, Ecclesiæ nostræ Diacono.

Confessio hæc nostra postea Synodo Tridentinæ exhibita est, per Legatos nobilitate generis, virtute, sapientia, & eruditione præstantes viros Ioannem Theodoricum à Plieningen, & Ioannem Hecklin à Steineck, Iuris Doctorem.

Subsecutus est D. Brentius anno L II. cum alijs tribus Theologis (e quibus ego solus iam supersum, quādūt Dominus fuerit visum) vt publicè in Concilio aut Confessionem nostram Synodo oblatam defenserent, aut

impietatem Decretorum à Concilio æditorum, refutau-
rent. Hæ enim duæ viæ à nostris Legatis, eum de modo
procedēdi à Cæsareis Oratoribus essent interrogati, sunt
propositæ, quod illi se ad Patres relatuos, promiserunt.

Sed ab his nullum extorqueri poterat responsum, nec
sumus auditæ, imo ne vocati quidem vñquam, neq; hoc
ab ipsis precibus ullis impetrare potuimus. Ideoq; dilas-
pis iam metu Episcopis Italis & alijs, nos quoq; venia
petita & impetrata, domum salui, Dei clementia, redi-
mus, è fauibus Leoum erexit. Nec enim ea res pericu-
lo caruit. Notum est quid in Constantiensi Concilio ac-
ciderit. Nec Patres nobis cauere voluerunt de Pontifice
Romano, qui longe est Concilio superior, & docet Hæ-
reticis non esse seruandam fidem, quales nos esse sentit.
Sed hæc copiosius Sleidanus, qui & ipse interfuit Lega-
tus Reip. Argentinensis, & hic Noster post redditum pe-
culiari hac de re ædito libello, descripsere.

Quo magis impudentiam turpissimi cuiusdam Apo-
statae Laur. Alber. miror, qui nuper ædito libello germano,
de absurdis Lutheranorum inscriptum, primitias
se scilicet dignas, in postremo capite non veretur impu-
dentissima in vulgus Papisticum spargere hac de re pura
puta mendacia, quæ se ex ore D. Brentij, & D. Valentini
Vannij, piz memoriar, qui & ipse ad Concilium nobis
scum missus est, audiuisse iactat. Nos scilicet nunquam,
etiam à Patribus vocatos, in publicum confessum venire
voluisse aut comparere. Nec Brentium vñquam voluisse
congreedi, donec Elector Saxonæ Mauritus vi armata
Oenipontem peruenisset, per ruptis fauibus Alpium.
Præterea etiam Cardinalem Tridentinum multa ibidem
in Brentium contulisse beneficia. Que cum sint apertissi-
ma,

ma, & ut dixi, pura puta mendacia, refutatione non indi-
gent. Certū est enim & ex Annalibus notum, arce Eren-
berga x v i i i. die Maij capta ab Electore Mauritio, po-
stea illum demum venisse Oenipontem. Eo aut tempore
iam domum nos redieramus, & dum angustias illas in re-
ditu transiremus, adhuc a Cesareano milite custodieba-
tur. Simile est mendacium, quod de Cardinale Tridentino
no scribit, qui toto illo tempore, quo nos Tridentini fuimus,
absuit. Et tandem cum nos in redditu essemus, in itinere in-
nos incidit, Tridentum ipse rediens, ubi humanissime,
quod verū est, D. Brentium salutauit, prolixè illi sua des-
ferens officia, quae &, si domi fuisset, præstitum se fuisse
pollicebatur. Haec ipse vidit, audiui, & pars aliqua fui.

Sequenti hyeme moritur Praepositus Ecclesiae Studi-
gardiensis, qui ab eo tempore, quo Ulricus Dux ditionē
suam recuperauerat, absuit Eluviangae. In huius locum
sufficitur D. Brentius. Et simul illi cura & inspectio nos-
stræ Vniuersitatis commendatur. Quo sibi iniuncto of-
ficio ad vitæ usq finē, summa cura, vigilantia, prudentia,
dexteritate, industria, & maximo etiam cōmodo Scholæ
& Ecclesiarum huius Ducatus est functus: sinceritatem
doctrinæ cœlestis, & concordiam piā, atq consensum in-
ter ministros Ecclesiarum, Dei beneficio, conseruauit. Quod
quantum sit bonum, ex aliorū malis, incommodis & dis-
fidij estimare licet. Etsi enim pauci aliqui mouere quæ-
dam sint conati, & concordiā turbare: tamen mox conas-
tus illorum idoneis remedij sunt repressi. Ita ut per Dei
gratiam Ecclesię huius Ducatus in pace hactenus florue-
rint. Veri itaq & Apostolici præpositi officiū fecit, pa-
scens gregem sibi commissum pabulo doctrinæ cœlestis.
Enarravit .n. pro concione Pentateuchum, Euangelistas.
Matthæum & Marcum.

Taceo.

Taceo iam alia, quod suis consilijs in rebus grauissimis ad Ecclesiam pertinentibus multos iuuit.

Cumq[ue] F. Petrus à Soto Hispanus, in hac vicinia Dillingæ opposita contraria Confessione, quam nomine Catholicæ suæ Ecclesiæ ædidit, & Scholijs quibusdam additis nostram Synodo exhibitam deformare voluisse, hic Noster veram, perspicuam, firmam, & solidam è sacra Scriptura, & Patrum scriptis Apologiam ædidit, qua ita nostra confirmauit, & dogmata Pontificia, Decretaque Concilij illius refutauit, vt in hoc genere nihil extet melius, adeo, vt qui cœcus sit aliâs, manifestos & palpabiles errores Pontificios, Idololatriam turpissimam, falsa eorum & in verbo Dei damnata dogmata palpare possit. Et quod tum, si admissi, & auditи fuissemus, coram in faciem illis dicturi eramus, id scriptis his æditis toti Imperio & Ecclesiæ est propositum.

Anno L V I I . consensu Ordinū Imperij aliud VVormatiæ Colloquium, & quidem postremum est institutum, ad quod D. Brentius tum ab Illustriss. nostro Principe Christophoro est missus. Sed cum de Iudice quaestio esset mota, & nostri Scripturam sacram pro Iudice agnoscendam esse statuerent, Aduersarij vero, eam non esse vocem Iudicis contenderent, sed materiam litis, abruptum est, nec optatum finem consequitur.

Nam quod hi per nostrorum dissidia dissolutum esse vociferantur, friuolum est. Nostri enim diserte responderint ad hanc siue calumniam siue obiectionem, cum adhuc vñâ essent VVormatiæ, ne se moueri hac re paterentur aduersarij, se enim in progressu Colloquiij, in singulis articulis damnaturos esse omnes non recte de illis sentientes,

Sentientes, Et quidem initium ab ipsis facturos esse, deinde ad alios quoque peruenturos.

Et quia bellum Sacramentarium renouatum erat, & recruduit illis temporibus, ideo non solim suam hac de controversia Confessionem ædere voluit, sed & aduersariorum Zwinglianorum dogmata refutauit, fundamētis D. D. Martini Lutheri ex sacra Scriptura, ab unione Personalī, & communicatione Idiomatum, non Verbalī sed Reali, Sessione Christi hominis per uniuersitatem facta ad dextram aeterni Patris, repetitis. Quæ etsi Zwingiani varijs modis calumniati sint, portentosum, monstruosum, prodigiosum Ubiquetarium, addo & dia-bolicum commentum vocantes, & alijs verborum p̄stigijs ad hoc excogitatis, simplices ab hac doctrina auertere & detergere voluerint: tamen neglectis calumnijs, fretus bona conscientia, & sacrarum literarum testimonijs, in vera & Catholica sententia permanſit.

Giscere circa hæc tempora cooperunt odia & similitudines inter Principes regni florentissimi Galliarum, Res ge propter ætatem nondum inaugurate. Dissidia etiam in Religione inter illos orta, & res ad motus spectare videbatur, sicut etiam euentus, proh dolor, declarauit.

Expetitum fuit tunc à Cardinale Lotharingo, & fratre Guisio, quorum præcipua erat authoritas & potentia in Gallijs, colloquium cum Illustrissimo Principe ac Dominino, Domino Christophoro Duce Virtembergensi, Domino nostro clemētissimo, felicis recordationis. Adduxit eius Celsitudo Theologos quosdam, & inter hos D. Brentium. Tabernaculum Alsaticæ dictæ sunt huic conuentui, qui, quo consilio fuerit institutus, ego sanè pronunciare non possum.

Varia sunt postea sparsa à multis, qui tamen rerum omnium fuere ignari, coniecturis quibusdam adducti, propterea quod itatim, postquam Galliae proceres à Colloquio digredi essent, in suos aduersarios grassari coepint.

Hoc autem certo affirmare possum, nec desunt mihi idonea & sufficientia testimonia, quibus hoc probari potest, D. Brentium, sicut & Illustrissimum Principem nostrum, nullius cruenti consilij authorem fuisse. Præcipue vero propter errores doctrinae noluit cum D. Augustino in quenquam fœniri. Sicut testatus est in præfatione libri, paulo post æditi, quem inscripsit Recognitio, quam ex professo, & hoc consilio scripsit, ut se sinistra ista suspicione liberaret. Testantur hoc totius vitæ ipsius actiones, quæ ad pacem spectabant omnes. Quamq; amans & studiosus pacis, concordie, & pñ consensus veterq; fuerit, & Princeps & Brentius, & quam à cruentis consilijs alienus, adeoq; abhorruerit ab illis, notum est omnibus, qui eos nouerunt, res loquitur ipsa, ac omnium ore celebratum est, ut mea defensione hac in parte minime indigeant. Descripta sunt Acta huius Colloquij, quæ in casu necessitatis ædi & monstrari possent.

Sed hæc hactenus de laboribus, certaminibus & periculis ipsius, quæ in sua vocatione sustinuit, ex quibus tamen semper, Deo iuuante, est eluctatus.

Restat ut nonnihil etiam de moribus ipsius & virtutibus dicamus. Id autem faciam breuiter, ne prolixitas Orationis (quæ iam etiam præter meam voluntatem longius progressa est) molestiam & tedium afferat auditibus. Sed quia longæuam illi Dominus concessit vitam, qua etiam bene vñs est, & res multas, magnas, & præcleras

D. Ioannis Brentij.

43

præclaras gessit, de quibus dictum est nonnullū, (quis, enim omnia persequi posset, non dico vna hora aut altera, sed tota die;) non dubito vos fauere ei, cui Deus fauit, & cupiatis etiam reliqua huius viri ornamenta audire, quod tamen, ut dixi, breuiter faciam.

Fuerunt autem in illo virtutes non vulgares, sed egregiae, maximæ, summae. Primum illustris Dei agnitus, qua ipsum ex verbo agnouit, sicut in illo Pater coelestis se patefecit, ædita promissione de filio Mediatore, cum Spiritu sancto, quo illustratus sicut eum agnouit, ita & publice confessus est. Alijs quoque ornamenti fuit præditus, dilectione Dei & Ecclesiae, pro qua toties de vita est periclitatus, eamque profundere paratus fuit, animam suam ponens pro fratribus. Deum, quem vere timuit ex vera fide, varijs iactatus casibus instar Dauidis, inuocauit: non semel, sed multoties miris modis seruatus est & liberatus. In gubernatione Ecclesiae, prudens, vigilans, futurum prospiciens, præsentibus malis remedium facile inuiciens. In dñjudicationibus dogmatum, nequaquam exemplo multorum præceps, sed valde circumspectus. Nec facile pronunciare solebat, sed prius rem omnem, & totum negotium per omnes circumstantias, & mentem illorum, de quibus ferenda erat sententia, & pronunciandum, cognoscere & inquirere summa diligentia studebat. Quod si alij imitarentur, minus certe turbarum habituri eramus in Ecclesia. In confessione constans, nec facile rus moribus moueri. In periculis magno & infracto erat animo, aliosque perturbatos erigebat consolationibus a Dei præsentia petitis, & longi temporis experientia, ubi rebus desperatis propemodum, saepè ex improviso Deus opem tulisset. In aduersis patiens. Salutaris Doctor, &

organon Dei electum , per quod Deus multa & magna
 in Ecclesiam contulit beneficia. Successus etiam Domi-
 nus dedit consilijs ipsius felices, & euentus placidos. Nos
 Collegas suos , et si iuniores & inferiores multo, non tan-
 tamen secus ac æquales suos, vere & sincere dilexit, Omni-
 bus quibus cum vixit gratus, summis, & qualibus, inferio-
 ribus. In quanta fuerit gratia apud Illustrissimos nostros
 Principes, quibus ordine seruauit tribus, notum est, qui
 eum obseruauerunt , coluerunt. In conuersatione man-
 suetus fuit & humanus , magnaç in illo morum suauitas
 & elegantia, cum grauitate coniuncta . Contradicentes,
 & quissimo audiuit animo, & tulit placide. Urbanus val-
 de. Sermo illius sale , non atro illo , sed candido fuit con-
 ditus. Ac more vetustatis eruditæ , multa in conuersa-
 tione priuata per Apologos grauiter dixit , deç rebus
 grauissimis sepe admonuit. In vita priuata iustus, castus,
 & itidem humanus, suos amavit, & ab illis vicissim coles-
 batur, ac redamabatur , adeo ut si quid diuinare , aut qui-
 buscunq; coniecturis consequi possent, quod illi gratum
 esse intelligerent , in id totis viribus incumberent . Fuit
 hæc in rebus humanis non minima felicitatis pars.

De corporis statura non est quod multa dicam. Fuit
 illa, vt vidistis, procera, egregia , heroica. Firma fuit vae-
 letudine usq; ad grandævam senectam: latera habuit fire-
 ma, vnde & vox sonora & grauis. Nec quod ego sciām,
 vñquam decubuit morbo afflicitus , nisi quod ærispelate
 sit vexatus , qui morbus illi fuit familiaris , excepto hoc
 postremo anno.

Cum igitur iam depugnatum esset cum illis , de qui-
 bus diximus monstis, penè defatigatus molestis illis cer-
 taminiibus, accrescentibus etiam annis & ætate. Ne tan-
 men

men octosam & ignauam ageret senectam, ad alia se ius-
cundiora contulit studia, Psalmorum scilicet enarratio-
nem, & cum eorundem autore cecinit: Laudabo Do-
minus in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero,
quibus senectutis leuaret tedium & molestiam.

Sunt in hoc Ducatu Monasteria, in quibus ante hæc
tempora ignavi & oculi ventres Monachi se saginaue-
runt, inutilia & pernitiosa terræ pondera. Illa consilio
Nostri D. Brentij, Illustrissimus Dux Christophorus,
cuius sit memoria in benedictione, ad primam institu-
tionem reuocauit, & conuertit in Scholas, in quibus ius-
uentus in dicendi artibus, linguis, & principijs Theolo-
giae instituitur, & ad altiora studia præparatur. Horum
inspectio illi est demandata. Itaq; quotannis bis circum-
ire solebat, & singula visitare Monasteria, & studia atq;
profectum illorum obseruare. Et ut iuuaret & accendes-
ret animos statim à teneris ad pietatem, & sacrarum lite-
rarum amorem, Psalmos in singulis, veniens enarrabat.
Imitatus in hoc Eliam, de quo sacrae testatur literæ, quod
antequam à Domino viuus cum corpore in coelum
transferretur, circumiuuerit, studia discipulorum, qui filii
Prophetarum dicebantur, in Collegijs inspiciens.

Hic ipsius labor cum amicis probaretur, rogatus ab
eis, Psalterium, quantum per alia publica Principis &
Ecclesiæ negotia licuit, enarrandum, ac breui & pers-
picuo Commentario illustrare coepit, seçq; vitam cum
Psalterio finiturum dixit, quod & factum est. Peruenit
enim anno superiori usq; ad Psalmum centesimum ses-
quatum, in cuius commentatione dum sederet & scri-
beret, subito concidit, sed tamen postea se iterum colles-
git, & meliusculè habere coepit.

Verum ab illo tempore exhaustus iam viribus, con-
fectus laboribus, vigilijs, temptationibus, periculis, senes-
tute graui, quæ ipsa per se morbus est, & ut ipse dicere
conscuit, omnia mala ad senectutem, tanquam ad atam
concurrere. Accessit huc ingens dolor, quem ex immat-
tura Illustrissimi nostri Principis ac D.D. Christophori,
felicis recordationis, morte coepit. Huius enim vitam,
sua vita, & fortunis omnibus, si bona Dei voluntate fieri
posset, postquam illi esset renunciata, redempturum, re-
spondit: semper indies desicere coepit, sicut ellychnium
oleo desiciente.

Venio itaq; vel tandem, quamvis inuitus, & horret
animus, viribusq; & ipse penè destituor, ad postremum
actum, qui nobis summum hunc virum & Heroa eripu-
it, ipsi vero aditum ad gloriam sempiternam patefecit,
nobis valde tristem & lugubrem, ipsi vero iam defun-
cto, felicem & salutarem, ad quem non iam primum, sed
per omnem vitam se præparare coepit. Nam quod Plato
dixit, Philosophiam esse meditationem mortis, id multò
rectius & verius Christianorum Philosophiæ, quæ est
Theologia, conuenit, siquidem hæc non solim de mor-
te admoneat, verūmetiam causam eius ostendit, quod
Philosophia rationis humanæ ignorat, & insuper benē
mori docet, ut per mortem hanc corporis, ad veram, bes-
atam & æternam vitam perueniamus.

Ægrotare autem coepit, & in nauim ac febrilem
morbum incidit die Augusti mensis præteriti decima
septima, semperq; peius habere coepit, ac finem vitæ in-
stare intellexit. Ideoq; omnia facere, quibus ad benē mo-
riendum homines pñ se præparant.

Quod

Quod igitur Dominus Deus noster H̄iskiæ Regi Iuda per Isaïam Prophetam præcepit, ut Testamentum conderet: Dispone, inquiens, domui tuæ, quia mories, & non viues, hoc sibi dudum Noster dictum putauit. Ante annos enim quatuor, de postrema sua voluntate testatus est, idq; manu propria descripsit. Sed non more filiorum huius seculi, qui de caducis ferè potissimum rebus agunt: verū ut pium & primarium Ecclesiæ Doctorem decet, de Fide ac Religione sua, in qua vitam hanc finire, & ad Filij Dei tribunal accedere velit, est contestatus. Hanc autem esse, quæ in sacrosancta Prophetica & Apostolica Canonica scriptura, tribus Symbolis, Apostolico, Niceno, & Athanasij continetur. Agnoscere se quoq; & amplecti Concilia, & Scriptores Ecclesiasticos, quatenus cum illis consentiant. Se tamen dissimulare non posse, nec debere, in his contineri, quæ amplecti & probare non possit, quod cum illis pugnat. Præterea Augustanam Confessionem per omnia se probare, & hanc esse suam quoq;. Sentire se cum Luthero. Et sua Scripta testari, quæ sua fuerit, & sit Fides, Religio, & Confessio, in qua etiam ex hac vita, Dei adiutus Spiritu, constanter sit migraturus.

Damnare autem se omnes hæreseis & phanaticos, qui ab hac doctrina dissentiant. Inprimis vero Zwingianos, à quibus toto pectore abhorreat, quod spiritus mendacij & homicidij agitentur. Ideoq; se omnes horari, vt sibi ab illis caueant, & collatis operis pro virili singuli hoc dent operam vt arceantur. Haec vt ab illo descripta sunt, ita spero fore, vt typis breui excudantur.

Quia vero facili momento voluntas humana mutas

tur, & ut à Iureconsultis dicitur, mutabilis & ambula-
toria est usq; ad mortem, ne quis existimaret, Nostrum
iam circa vitæ finem mutatum esse ab illo, qui fuerit os-
tim, Testamentum hoc suum, paucis ante mortem die-
bus, cum iam decumberet, à filio D. D. Ioanne in præ-
sentia ministrorum Ecclesiæ Stutgardiensis omnium,
quos ad hoc peculiariter vocarat, prælegi & recitari.
eiusq; hos testes esse voluit. Postea priuatam peccato-
rum suorum confessionem ædidit, & petita ac impetrata
absolutione, Eucharistiæ sumptione fidem suam con-
firmavit, & viatico hoc instructus, ad iter se accinxit.

Multis verbis tum Symmistas ad pium consensum &
concordiam in doctrina coelesti, quæ hactenus Dei be-
neficio in hoc Ducatu floruerit, est cohortatus, addito
vaticinio, quod si hanc suam cohortationem admiserint,
Deum ipsorum laboribus & conatibus honestis affutu-
rum. Et hoc sui μημόνων commune esse voluit omnibus
Doctoribus & ministris Ecclesiæ huius Ducatus, ope-
ram demus summam, vt vnum simus in Deo & verbo
eius. Idq; Psalmo confirmauit: Ecce quam bonum, &
quam iucundum, fratres habitare in vnum, &c. Quem si
Deus longius concederet vitæ spaciū, se enarraturum,
& Ecclesiæ, eiusq; ministris sic valedictorum affirmabat:
si aliter Deo vñsum sit, cui se commendet, alijs suo id
facerent loco, orauit.

Hæc illius fuit verè Cygnæa cancio & concio, quæ v-
tinam exaudiatur in tota Ecclesia ab omnibus nostri or-
dinis hominibus.

Video mihi opus esse vestra benevolentia (etsi enim
multa consultò silentio prætero, multa etiam que scripsi,
legerem prætermitto, tamen me tempus præuenit) quam
mathi

michi non defuturam spero, idq; ex tacito quasi nutu vescro intelligo, ideo quod reliquum est, subiicio.

Toto morbi tempore, nullam non modo vocem, sed ne quidem signum impatientiae ullum ædidit: verum interrogatus de valetudine & morbo, respondere solitus est, se meliorem, sempiternam scilicet appetere & desiderare vitam.

Liberos suos natu minores, filio D. Doctori Ioanni commendauit, de cuius fide non dubitet, ideoq; de illis se amplius prorsus non esse solicitum.

Mors quoq; ipsa, quantumuis aliâs terribilis, ad cuius non dico mentionem, sed tacitam cogitationem plurimi exhorrescunt, vt valde optata illi, ita placida quoq; fuit, sicut totius vitae mores fraues & elegantes. Mors itaq; illi amara non fuit, sed vere dulcis somnus, & non est mortuus, sed obdormiuit. Die enim Solis, qua fuit decima huius, circa horam pomeridianam sextam, in valde dulcem incidit somnum, qui durauit usq; ad horam matutinam tertiam sequentis diei Lunæ, ubi accessit, vt putatur, species apoplexiæ, quæ à Medicis metuebatur semper, quam exceptit profundus admodum sopor, qui durauit usq; ad duodecimam fere. Postquam euigilasset, Symbolum Apostolicum à ministro Ecclesiæ est recitatatum, audiente & intelligente ipso. Finita recitatione interrogatur, num in hac fidei confessione constanter ex hac vita emigrare velit, diserte respondit (Ja) Ita. Postea vocem amplius ædidit nullam, sed absque omni perturbatione, aut motu vehementiore, cœpit paulo post animam agere, Deoq; creatori, & saluatori unico C H R I S T O, cui fideliter per annos quinquaginta in vinea ipsius seruiuit, eiq; commendauerat, circa

primam horā pomeridianam reddidit, completis LXXXI. annis, mensibus duobus, diebus x v i i. relicto suis, nobis omnibus, totiq̄ Republicae Christianae ingenti sui desiderio, qui eum plurimis haud dubie prosequuntur lachrymis. Sed Deo parendū est, sine cuius voluntate ne quidem capillus de capite nostro cadit. Hic verē cam Apostolo Paulo, electo Dei organo, dicere potuit: Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem seruauī, de cætero reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. Non solum autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius.

Mortuus est igitur, vel potius obdormiuit, & in Domino requiescit Reuerendus D. Ioannes Brentius: & tamen speramus non cum ipso mortuam esse, aut obliteratum iri veram & sinceram fidei confessionem, non pacem, non concordiam, & consensum doctrinæ in Ecclesijs sublatum iri. Sunt enim, Dei beneficio, sunt inquam, & erunt animi nostri coniuncti in vera doctrina, quicquid tandem vociferentur & calumnientur aduersarij: & ut confido, maior hæc erit animorum nostrorum coniunctio, quam illis gratum sit futurum.

Admonet autem me longæuitas eius de Ioanne Apostolo & Euangelista, cui Christus Dominus in eruce pena dens, matrem commendauit. Quod etsi de naturali matre vterq; intellexerit, hinc enim statim ad se recepit eam: tamen ἀλληγορίως nō inepte, meo quidem iudicio, ad Ecclesiam referunt, quod diutissim illam suo ministerio esset recturus. Vixisse enim scribitur post Christi ad coelos ascensionem, in ministerio ad annos 68. Hic autem Noster Ecclesiæ seruituit 50, si connumeres tempus illud, quo Heidelbergæ sacra docere cœpit: quod saepe est

tie est rarissimum, præsertim in tanto viro. In regno Pontificio Sacrificulos ociosos, qui per annos quinquaginta Missas celebrauerint, Iubilæos vocant, quod annus quinquagesimus in lege diuina Iubilæus fuerit.

Cum igitur Deus Opt. Max. tam salutarem nobis deserit Doctorem, usuramq; eius tanto temporis spacio concederit, ingens eius beneficium grati agnoscamus & prædicemus.

Sepultus est Studigardiae in templo Collegiato, mes dius inter duos Comites, non procul à cathedra, ē qua synceram Euangeli doctrinam gregi suæ fidei commissio, annos circiter 18. magna cum gravitate, authoritate, & utilitate proposuit: funus efferentibus sex Ecclesiæ rum ministris, & comitantibus vicinis Pastoribus plurimis, aulicis omnibus qui tum in vrbe erant, Magistratus oppidano, & ciuium innumera multitudine, non absq; multis acerbissimis lachrymis, Pastori siro fidelissimo, postremum hoc pietatis officium præstantibus.

Historia hæc est vitæ, & obitus Theologi hoc nostro seculo summi, in qua recitanda prolixior fui, q; proposueram. Nec me tam affectus, quam veritas, rerumq; varietas & multitudo eò protraxit. In qua plurima sanè cōsideratio ne sunt dignissima, sed temporis angustia breuiorem esse me cogit, & cōmonefactiones illas subiçere nō possum, verum tacitis vestris cogitationibus relinquo, ne iudicio vestro diffidere videar. Neminem n. ferè esse arbitror, qui non, me etiam tacente, intelligat Typū gubernatoris Ecclesiæ haud vulgaris, & fidelissimi nobis in hac imaginē considerandum proponi. Variam itidem eius, ut sunt rerum ac temporū vicissitudines, fortunam pingi, quam illi experiuntur, sicut in traectionibus marinis fieri con-

Oratio de vita & morte

suetit, & quanta opus sit, sicut Nauclero, prudentia, constantia, fide in primis, & patientia, qua a Deo placidi pertinetur & expectentur eventus. Quodque Deus suis misericordiis adsit Spiritu suo sancto, regat, conseruet, liberet denique mirabiliter, & det alicubi Ecclesiae eiusque ministeris hospitia & halcyonia, felices denique successus, ac finem optatum.

Solent autem mortes magnorum virorum plerumque esse ominosae. Amissimus ante biennium & paulo amplius Illustrissimum Principem ac D. D. Eberhardum Ducem VVirtenbergensem in ipso aetatis flore, qui vere animo fuit heroico, ut scimus omnes. Subsecuta est mors nunquam satis laudati Principis ac Domini D. Christophori Ducis VVirtenbergensis, Domini nostri clementissimi, cuius morte quantum cladem acceperit Res publica Christiana, verbis consequi non possum. Fuit enim singulare decus & ornamentum totius Imperij, quod inuictissimus Imperator Maximilianus, Dominus noster clementissimus, in suis ad Illustrissimum Principem ac Dominum D. Ludouicum Ducem VVirtenbergensem, itidem Dominum nostrum clementissimum, literis consolatorijs libenter agnoscit & fateatur.

Iam, ut dictum est, eripuit nobis Dominus Deus noster Doctorem & Rectorem Ecclesiae in his terris hoc tempore summum. Huc accedit, quod silentio praetereundum non est, triduum ante hunc euocatus est ex hac lachrymarum valle, generis nobilitate, virtutibus omnis generis, sapientia, fide, taciturnitate, eruditione vir praestantissimus & celeberrimus, Dominus Ioannes Theodoricus a Pleningen, magnus Curia Ducalis Magister,

gister, & cum Nostro Scholæ huius Commissariis, qui
 & viuo Illustrissimo nostro Principe Christophoro, vna
 cum ipsius Cesitudine, & post obitum illius, hunc Ducas
 tū sua prudentia, authoritate & consilijs rexit, & optimè
 cū de toto hoc Ducatu, tum etiam, & quidem in pri-
 mis de Academia nostra est meritus. Coætanei sūere hi
 duo D. Brentius & Pleningerus, multaq; communia ha-
 buerunt. Vterq; Tridentum propter confessionem fī-
 dei ad Concilium missus, summus vterq;, hic quidem in
 Republica, alter vero in Ecclesia. Vterq; Scholæ nostræ
 Commissarius. Vterq; familiariter vsus D. Philippi Meo
 Ianthonis consuetudine, hic etiam olim discipulus fuit
 VVittenbergæ. Summa animorum coniunctio, Com-
 patres, quosq; Deus in vita & officio coniunctos esse
 voluit, eosdem etiam per mortem separari noluit, sed eo-
 dem tempore, interuallo tridui, ex hac vita & statione
 pariter euocauit.

Hos tantos viros hoc tempore, & rerum statu, nobis,
 Ecclesiæ & Reipublicæ eruptos Mecœnates, dolemus
 grauiter, cum maximè horum nobis opus esset authori-
 tate, consilijs & auxilio his turbulentissimis temporis
 bus.

Hos eosdem sibi eruptos dolet Illustrissima Princeps,
 Domina nostra clementissima, & pro sua admiranda sa-
 pientia metuit, nec id dissimulat, mortes has summos
 rum Principum, & post hos, capitum huius Ducatus
 Ecclesiæ & Reipublicæ, nescio quid malí portendere.
 Sicut non solum experientia, sed multò certius & eui-
 dentius ex sacris literis constat, mortes talium, tanto-
 rumq; virorum, magnorum malorum esse præfigia. Et
 quidem verum est, hos iam nominatos duos, sibi & na-

turæ satis admodum vixisse, ideoq; mirum videri debet.
nemini, quod grandæui obierint, nec immaturam esse
mortē. Sed si quis rem recte reputauerit, securus iudicabit.
Cum enim eiusmodi Heroës, non solum auctoritate va-
leant, vñi, & longi temporis multiplici rerum experien-
tiā: ideoq; prudentia & consilio valeant, & mala prævi-
dere à longe, tanquam ex alta specula prospicere pos-
sint: & in tempore idonea remedia adhibere, quibus illa
præcautantur. Præterea in magna apud Deum sunt gra-
tia, & precibus suis iram eius, ac imminentes penas as-
uertere possunt, murum opposentes, vt Propheta lo-
quitur: hocq; modo fulcra sunt mundi. Quid mirum igie-
tur his sublatis, ingentia metuenda & subsequi mala?
Sicut Diuorum Ambrosij & Augustini mortes ingen-
tia & horrenda mala in Aphrica & Italia Vandalis om-
nia vastantibus, exceperunt. Sed nolo male ominari, ves-
rum potius bene precari.

TE igitur Omnipotens æterne Deus, Pater
Domini nostri Iesu Christi, liberatoris vni-
ci, cum Spiritu sancto, viuo, casto, & veraci inuo-
camus, sanctifica nos in veritate, sermo tuus est
veritas, quam Filius tuus unigenitus & dilectus
promulgavit ipse. Excita, præpara, & extrude Ec-
clesiæ fideles operarios, & salutares Docto-
res, ac Gubernatores Reipublicæ. Conserua pu-
ritatem doctrinæ coelestis, consensum pium in-
ter Doctores, Studia docentium & discentium
verbum

verbum tuum , & alias honestas artes & disciplinas , & hunc cœtum Scholasticum in flore : Politias quoq; , quæ præbent hospitia Ecclesiar & honestis studijs : Patriam nostram dulcissimam , o- cium , pacem , concordiam & tranquillitatem Ec- clesiar & Reipub. sicut haec tenus tua bonitate & clementia sensimus . Iam sumus orphani & pu- pilli , absque patre , omnium hominum præsidio & auxilio destituti . Cumque ignoremus quid fa- cere , & quo nam modo res nostras instituere de- beamus , hoc solùm nobis est reliquum , vt oculos ad te dirigamus . Esto igitur tu Pater , Dux , Doctor , Rector & Protector noster , vt te verè ex verbo tuo agnoscamus , tibi grata , nobis & multis alijs salutaria faciamus , & in hac , & futura perpetua vita , cum omni- bus electis celebremus ,

Amen.

LECTORI SALUTEM.

CVM de consilio non modò hæredum D. Ioannis Brentij, pia memoria, sed grauissimorum hominum, concioni funebri Germanica, sit adiecta prima pars Testamenti ipsius, Germanicè scripta, ritum est bonis & doctis viris, eam in latinam linguam conversam, orationi latinæ funebri esse subijciendam: maximè eam ob causam, quod sciant Zwingianos nonnullos D. Brentium, dum inviuis esset, patronum sui erroris facere voluisse, & ex ipsius Exegesi in Ioannem quædam vafre contorta ad suum institutum accommodasse. Vt ergo illi omnes, & maximè iij qui Germanicè ne- sciunt, intelligant, Brentium in pia confessione sua de Cœna Domini ad finem vitæ sua perficiisse, hanc partem Testamenti ipsius latine addiderunt. In qua versione diligens opera data est, vt quantum quidem fieri posset, non modò sententia sententijs, sed verba etiam verbis, primo exemplo responderent.

Bene vale.

PRIOR PARS⁵⁷
TESTAMENTI D. IO.
ANNIS BRENTII, DE IPSIVS ET
CONFESSIOINE ET MINISTERIO, EX
autographo Germanico in Latini-
nam linguam conuersa.

PRIMA PARS TESTAMENTI,
VEL VLTIMAE VOLVNTATIS MEAE
Ioannis Brentij, de ministerio.

*Hæc dicit Dominus: Præcipe domui
tuæ, morieris enim tu, & non vi-
ues. 4. Reg. 20.*



Vm ego Ioannes Brentius, Præpositus Stutgardianus, apud animum meum diligenter perpenderim, nos in hoc seculo non habitandi, sed commorandi duntaxat locum habere, eamq; ob causam de meliore & fœliciore cogitare semper debere: tota animi contentione precor, vt omnipotens & misericors Deus Pater Domini & liberatoris nostri vnici Iesu Christi, Spiritu sancto suo nos tum mihi faciat (vt Psalmus loquitur) finem meum, & *Psal. 38.* numerum dierum meorum quis sit, vt sciam, quod ego esse desinam, ne vitam in carnali securitate transigam,

H sed

sed illum exoptatū vitæ finem in timore Domini eius
obsequijs alaci conscientia expectans, dissoluar, cum
Domino nostro Iesu Christo in æterna beatitudine vi-
cturus. Amen.

Parentes mei charissimi, Martinus Brentius, & Catha-
rina, in ciuitate Imperiali Vvila, non modo, ut honestos
coninges decet, innocenter vixerunt, sed in vera agni-
tione & confessione Domini nostri Iesu Christi, pie de-
functi sunt (Deus Opt. Max. ipsis felicem resurrectionē
clementer largiatur). Hi me à primis annis studijs man-
ciparunt, ac sumptus liberaliter suppeditarunt, donec
tandem Deo sic clementer volente, initio quidem mi-
nisterio sacrosancti Euangeli inaugurarer, postea etiam
maritus fierem. Constitui ergo per gratiam Domini, hoc
meo Scripto (quod vel Testamentum vel Codicillus, vel
alio conuenienti nomine poterit appellari) de utroq; vi-
ta genere ultimam voluntatem meam testatam facere,
in qua Deo mihi suam gratiam largiente, vitam hanc fi-
nire, ultimumq; diem claudere constitui. Omnipotens
& misericors Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, eo
in conatu, diuinam suam benedictionem mihi clemen-
ter largiatur.

Et initio quidem quantum ad ministerium meum,
præterea etiam fidem, confessionem, doctrinamq; meam
attinet, per gratiam Dei firmiter credo & confiteor, to-
toq; pectore amplector, libros sacrosanctæ Scripturæ
Propheticos & Apostolicos, aut ut alijs compendio vo-
cari solent, veteris & noui Testamenti, de quorum cano-
ne & autoritate in sancta & Catholica Ecclesia nun-
quam dubitatum fuit, esse ipsissimam scripturam Spiritu-
sancti, & certissimam Missivam sive Epistolam Del-
Optimi

Optimi Maximi, ad vniuersum genus humanū, diuinis
coelestibusq; miraculis, ad eum modum obsignata & cō-
firmata, vt quī de ea dubitet, non iam in hominū, sed
beluarum, ratione parentium, imò verò perditissimo-
rum Epicuræorum, incredulorum Hebraeorum, Ethni-
corum, ac Turcorum numero habendus sit.

Et quidem in his sacrosanctæ Scripturæ librīs, docet
Spiritus sanctus, quid de Deo, de eius Essentia & volun-
tate erga genus humanum, sentiendum, tenendum, cres-
endum, loquendum ac docendum sit, & quid sibi hos
mo de Deo promittere, quo etiam modo, omnes vitæ
rationes, in prospera & aduersa fortuna, deniq; in ipsa
morte, & migratione ex hac vita instituere debeat. Et
cum hactenus in vera Christi Ecclesia, tria Symbola, vi-
delicet Apostolicum, Nicænum, & Athanasianum in
vñu fuerint, credo ego & sentio, illa tria Symbola esse
compendium totius de qua diximus sacræ Scripturæ, &
certam sententiam doctrinæ veræ, infallibilis diuinæ, &
Christianæ: quæ Symbola etiam ego, in omnibus & sin-
gulis partibus & articulis, vt indubitatam æternamq;
veritatem, Dei beneficio, approbo, amplector, quod &
bis meis consignatū volo. Deum Optimum Maximum
per Dominum nostrum & vnicum seruatorem Iesum
Christum humiliter orans, & interim minime dubia-
tans, ipsius clementiam instinctu Spiritus sancti sui, me
in hac fidei professione ad rogam usq; clementer con-
seruaturam, & æternis præmijs affecturam.

Quantum autem ad Concilia, quæ post diuulgatio-
nem sacrosancti Euangeliū in totum terrarum orbem in
Ecclesia Christi celebrata sunt, attinet, summa gratitu-
dine & veneratione, vt veræ Ecclesiæ membrum, ama-

plector, & exosculor labores & diligentiam sanctorum Patrum, quam suscepereunt in explicanda & defendenda contra Hæreticos ex fundamentis sacrarum literarum vera doctrina, vt sunt disputationes de æterna Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti diuinitate. Item, quod secundum Essentiam, unus duntaxat verus & æternus Deus, sed secundum ~~essentiam~~, tres distinctæ personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus, in una diuina essentia, maiestate & gloria sint. Deinde quod Dominus noster Iesus Christus verus Deus, & homo, non sit una duntaxat natura, sed ex duabus, diuina & humana consistat. Nec duas in Christo personas esse, sed unam, quemadmodum Symbolum Athanasianum testatur. Deinde cum & alia multa à Concilijs constituta & decreta sint, puto æquum & præterea etiam necessarium esse, vt ea ex sacris literis iudicentur, maxime eam ob causam, quod nullum dogma neq; traditio vlla probari debeat, nisi sacrarum literarum fundamentis inconcussis illis nitatur.

Quamvis autem per Dei gratiam credam, Dominum semper in hoc seculo, usq; ad extreum diem, Ecclesiam suam Catholicam, & coetum electorum habere, cui etiam per Filium suum dilectum, Dominum nostrum Iesum Christum, propitius sit, eamq; in omnibus periculis, & in ipsa etiam morte, ad æternam vitam & beatitudinem clementer tueatur & conseruet, quemadmodum Articulus Symboli Apostolici testatur: Credo sanctam Catholicam Ecclesiam, Ea tamen interdum singulari Dei consilio, humanis & falsis traditionibus ad eum modum obscuratur & inquinatur, vt vix pro vera Ecclesia agnosci possit. Cuius rei luculenta testimonia extant, in regno quidem.

quidem Israëlitico, tempore Eliæ Prophetæ, cultus & Baalim & vitulorum aureorum, Saducaeorum autem & Phariseorum traditiones humanæ: & praua non modo legis diuinæ, sed doctrinæ de Messia & regno Christi interpretatio. Eadem post diuulgationem Euangeliū in totum orbem terrarum Ecclesiæ fortuna fuit, cum Arrius conspiracye cum Imperatoribus & Regibus facta, blasphemо dogmate suo Ecclesiam ita inuaderet, ut eo tempore pauci doctores & confessores essent, qui palam veritatem defenderent. Ex qua Hæresi postea, Deo propter summam hominum ingratitudinem permittente, Mahumetismus & Turcismus ortus est. Sub his Ecclesiæ concussionibus, paulatim irrepit Papatus, qui veræ Christi Ecclesiæ, & doctrina falsa, & externa tyrannide tantum periculi creauit, & hodie creat, ut qui sub eo, ad æternam felicitatem vocati sunt, non minori Domini clementia, quam septem illa millia temporibus Eliæ seruati videantur.

Cum autem Deus optimus maximus & Pater Domini nostri & vnici seruatoris Iesu Christi, me varijs multiplicibusq; beneficijs affecerit, propter quæ etiam omnem me gratitudinem eius clementiæ debere, libenter confiteor, Inprimis tamen ipsius clementiæ & benignitati humiliter gratias ago, quod vitam mihi eo ipso tempore largitus est, quo ipsius benignitati visum est, & abominationes Papatus, & veram lucem Euangeliū Christi, Ecclesiæ suæ per D. Doctorem Martinum Lutherum, fœlicis memoriæ, charissimum & colendissimum präceptorem meum patefacere. Et cum intelligam doctrinam religionis Christianæ, contra impium Papatum, ex fundamentis sacræ Propheticæ & Apostolicæ scri-

pturæ, in breue compendium illud Augustanae Confessionis redactam, & Imperatori Carolo Quinto in Consentijs Augustanis, à pīs Principibus, Anno 1530. oblatam. Ego & in hanc piam formulam toto pectore & ore consentio, si modo pio & eo quo scripta est sensu, intelligatur. Et damno omnes doctrinas & sectas, quæ contra Confessionem illam hactenus aut ortæ sunt, aut nasci possent. Sed inter reliquas hæreses ex animo damno, disertè & nominatim reprobo, falsum & iampridem damnatum dogma Zwinglianorum, qui contra sacras, diuinatusq; traditas Scripturas, & contra pīas antiquitatis consensum, deniq; contra hanc ipsam Confessionem Augustanam, docere & scribere audent, verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, non vere & essentialiter esse præsentia in cœna Domini (etiamsi ea secundum institutionem Christi administretur) nec sub pane & vino omnibus, qui eam vel digni vel indigni accipiunt, certo exhiberi. Quem magnum & non ferendum errorem, peruersa interpretatione locorum Scripturæ defendere conantur, dicentes: Christum in cœlos ascendisse, esseq; eum secundum Majestatem suam, qua humana natura à diuina assumpta est, in corporeo cœlo, & peculiari Physico loco: & non posse, nec per omnissimam potentiam Dei, nec villa alia quauis ratione, suo corpore simul in duobus, pluribus, aut certe omnibus locis esse: & sedere eum quidem ad dextram Dei, sed eam de certo loco in cœlo intelligendam. Hanc interpretationem articuli Christianæ fidei nostræ (Christus ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris Omnipotentis) iudico vere esse Zwinglianam, hoc est, de ingenio hominum, absq; ullis fundamentis & testimonijis sacræ Scripturæ, contortam,

contortam, confictam, erroneam, damnabilem, veræ sententiae de personali vnione vtriusq; diuinæ & humanae naturæ in Christo, & præterea etiam maiestati & gloriae Christi, qua exaltatus est super omne nomen, & se illi flectit omne genu cœlestium, ac terrestrium, & infernum, ex diametro contrariam & blasphemam. Nec dubito, si Deo propter summam hominum ingratitudinem irato, illud, de quo iam diximus Zwinglianum dogma, in Ecclesia inualesceret, ipsos eam ingressuros rationem, quam olim Arriani. Quemadmodum enim illi Maiestatem diuinæ naturæ in Christo impugnabant, & vere pios (qui Orthodoxi appellabantur, gladio tyranice & crudeliter persequuti sunt: ita Zwingianos propter suum dogma, quo humanæ naturæ Maiestatem, qua illa per vnionem personalē Dei & hominis in summam sublimitatem evecta est, & peruerunt & deturant hostiliter (vt fert & mendacis & homicidæ illius spiritus rabies) inuasuros & oppressuros optimos quoque. Et quidem hoc tempore, nonnulli Zwingiani coenantur suum dogma de coena Domini, coloribus ita pingere, ac si cum Augustana Confessione conueniret, & iisdem quibus nostri verbis & phrasibus vtuntur, imitati ut credo Arrianos, qui iisdem technis aduersus Orthodoxos, antequam eos omnino opprimerent, vsl sunt. Nullo autem modo illis habenda fides, cum spiritu mendacij habeant: nec cothurni illi & flexiloqua admittenda sunt, ne postrema primis deteriora fiant. Quare in eam curam per Domini gratiam incumbant omnes, & obstant pro viribus, qui possunt, ne spiritus ille Zwingianus in Ecclesia Christi locum inueniat. Hæc autem scribens, nequaquam probo tyranidem Papæ, & non nullorum

nullorum aliorum, qui sub praetextu dogmatis Zuuingiani, simplices & bonos, isti errori implicatos, & initio eo imbutos, extremis exquisitissimisq; supplicij per se quuntur. Nolo etiam (si mihi ea in re pronunciandum sit) ijs, qui à Zwingiano errore, ad veram fidem confessionemq; ex animo (Domino spiritum largiente) res uertuntur, ianuam æternæ salutis occludere.

Iam quantum ad mea Scripta attinet, quæ dum ministerio verbī fungor, ædita & à me conscripta sunt, facile intelligere & possum & debeo, Ecclesiam Christi sine istis hactenus Dei clementia perstituisse, & in posterum etiam duraturam esse: & præterea etiam graibus causis motus, ego ipse libenter cōfiteor, debuisse me Ecclesiam Christi illa Scriptorum meorum molestia liberare, &

Ad Vin- cum D. Augustino dicere: Negare non possum nec des-
centium. beo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in meis opusculis, quæ possunt iusto iudicio & nulla temeritate culpari. Cum tamen ea non priuato, meoq; iudicio, in lucem ædita sint, verè & constanter affirmare possum, me nullius impij erroris & damnati dogmatis mihi concium. Quod si in meis Scriptis aliqua essent incommode dicta, quæ in malam partem rapi possent, volo ea secundum analogiam fidei, & veram normam sacræ diuinitusq; traditæ Propheticæ & Apostolicæ Scripturæ, intelligi, declarari & iudicari.

Et hæc sanè de ministerio suo Brentius

*scripsit, cui nonnulla quæ ad œconomiam & bona sua pertinebant, subiecit. Tandem utramq; Testa-
menti partem, his verbis clausit.*

Postremo,

Postremo, nunquam mihi memoria coniuncta cum
vera animi gratitudine, excidere aut potest aut de-
bet, eorum beneficiorum, quæ Illustrissimi Principis
& Domini, Domini Christophori Ducis VVirtenber-
gici & Theccij, Comitis Montispeligardi, &c. Princi-
pis & Domini mei clementissimi, & totius istius illus-
tris & nunquam satis laudatae familie, in me summa ex-
tant. Nam cum propter Sphyngen Augustanam (quam
Interim vocant) in exilium pulsus, nusquam consistere
possem, Illustrissimus Princeps, ipsius Celsitudinis pater
Vdalricus, excellentis & pia memorie, me & suscepit,
& clementer, non modo hospitium tutum, sed necessaria
etiam præbuit. Postea etiam Illustrissimus Princeps Dux
Christophorus, &c. ea me clementia complexus est, ijsq[ue]
beneficijs affecit, vt ea nec tacitis cogitationibus satis al-
sequi, nec meis obsequijs omnibus recōpensare possim.
Quare tota animi contentionе Deum Optimum Maxi-
mum, Patrem Domini nostri Iesu Christi oro, vt per v-
nicum illum saluatorem nostrum Iesum Christum, ipsius
Celsitudinem & totam familiam VVirtenbergicam, cle-
menter tueatur & protegat, & in vera Christiana agni-
tione Euangelij Christi, ad huius & æternae vitæ felicit-
atem conseruet.

Postremo vxori meæ charissimæ, & liberis ex utroq[ue]
matrimonio susceptis, præterea etiam Generis meis,
quanto possum studio iniungo, & ab ipsis peto, ne Illus-
trissimi Principis, quem honoris causa iam aliquoties
nominio, summorum in me beneficiorum, memoriam in-
suis ad Deum precibus, & omnibus obsequijs honestis,
quæ ab ipsis studio diligentiaq[ue] maiore proficiisci pos-
sent,

66 Prior pars Testa. D. Ioan. Bren.

sent, vñquam obliuione deleri patientur. Et liberis etiam
suis authores ac monitores sint, vt erga Domum VViro-
tenbergicam ita affecti sint.

Deus Omnipotens & Misericors Pater Domini &
seruatoris nostri Iesu Christi, per eundem Dominum
nostrum Iesum Christum, æternam nobis vitam & fo-
licitatem clementer largiatur, Amen. Datum Bulaci,
20. die Augusti, Anno à nativitate Christi 1566.

Ioannes Brentius scripsit
& subscripsit.

SEQVN-

67

SEQVVNTVR⁶⁷
EPITAPHIA ET LV.
GVBRIA CARMINA, CONSCRI-
pta à clariss. ornatis. & doctissimis
viris, in obitum Reuerendiss. viri,
Theologi maximi, Ioannis Brentij,
Præpositi Ecclesiæ Studtgardia-
næ, & Illuſtriss. nostri Prin-
cipis Consiliarij, piæ
memoriæ.

CLARISSIMI ET ORNA-
TISSIMI VIRI D. IOANNIS BRASBER-
GERI LL. DOCTORIS EXIMII, ET ILLV-
striss. Principis & Domini D. Ludouici, Ducis
VVirtembergici & Teccij, Comitis Mom-
pelgardi, &c. Vicecancellarij dis-
gnissimi, Elegia.

CVm Deus horrendis mundum ruit plectere pœnis,
Ire missuris fulmina ſæua ſuæ,
Eripit hinc iuſtos prius, & pietate celebres,
Ipſum ſyncera qui coluere fide.

Trifliae videant mœroris fata futuri,

A cunctis turi casibus esse queant.

Sic D E V S eripuit nobis duo lumina nuper,

O pie te Brenti, reg Plininge simul.

Impendent misera quia mille pericula vita,

Ambos cœlestis duxit ad astra chori.

Ingens accepit verax Ecclesia vulnus,

Nec res accepit publica læsa minus.

Alter erat splendor fidei, & pietatis imago,

In primis veræ Religionis apex:

Alter erat patriæ nunquam laus ultima terræ,

Virtembergiaci gloria magna soli.

Brentius, heu, cecidit, τελώνιος οὐλός,

Qui sacro C H R I S T I gramine pauit ones.

Pauit ones calamo, scriptis atq; ore diserto,

Auxilijs pauit consilijsq; pījs.

Affiduè docuit via quæ sit vera salutis,

Nos tantum merito vivere C H R I S T E tuo.

Monstravit latij technas fraudesq; Draconis,

Quæ in stygios ducunt coniunctū lacus.

Explicit purè sacrati dogmata verbi,

Purè tractavit religionis opus.

Cuius inexhausti pia sunt monumenta laboris,

Doctaq; iudicio sancte Luthere tuo.

Olim quæ fuerant cœcis connecta tenebris,

Huius nunc scriptis omnia clara nitent.

Vtq; pīj varijs agitantur casibus omnes,

Atq; illos ut fors aspera sèpè premit.

Is quoq; sic dubio fuit in discrimine vita,

Sæpius ob nomen C H R I S T E benigne tuum.

Exilium passus, nec non incommoda multa,

Sæpè mala nimis forte grauatus erat.

Non tamen infraclam potuit confernere menteem,
Vis Sathanæ, Mundi, Pontificisq; minæ.
Namq; Euangelij flagranzi ductus amore,
Hostes contempsit Maxime C H R I S T E tuos.
Atq; illos verbi gladio confecit acuto,
Quo solo semper turba maligna cadit.
Hunc igitur meritò sublatum Ecclesia luget,
Illiis columen, curris, asylon erat.
Hunc meritò Princeps, hunc & Republica lugent,
Optatae semper pacis amator erat.
Hunc omnes meritò deflent lugentq; ministri,
Qui Domini pascunt erudiuntq; gregem.
Brentius at gaudet fragili est quod carne solitus,
In C H R I S T I gaudet nunc habitare sinu.

REVERENDI VIRI, PL.
ETATE ET DOCTRINA PRÆ.
STANTIS, D. M. BALTHASARIS BIDEN-
bachij, Illustriss. nostro Principi à sacris con-
cionib. & consilijs, Elegia ens
comiastica.

P Rudens exuuias veteres deponit ut anguis,
Vtq; renascenti prima iuuentia reddit:
Exuuijs sic depositis Ecclesia tandem
Errorum veterum quando renata recens.
Brentius officijs, meritis, etate, tenelle.
Cum paucis alijs, tam Patriarcha fuit.
Temporibus nostris iam quando Ecclesia crevit,
Cum robur & vires sumpsit adulta suas.

Brentius est toti vel magnus Apostolus orbi
 Munus Apostolicum concionando gerens.
 Hinc (quod conspicuum est) Ecclesia fessa senescit.
 Proximus ut in peius carera cuncta rurunt.
 Brentius effete matri canaq; Prophetas,
 Ventura & vates posteritatis erit.
 Hic fidei virtute Abraham, luctaq; Iacobus,
 Ille Iobus patiens, dum pateretur, erat.
 Tædia multa vorans, sed mansuetudine Moses.
 Illi inerat feruens zelus Elia tuus.
 Iustitia Samuel, præsaga menteq; Daniel,
 Vix Anathoræus plura pericla tulit.
 Baptista similis demonstrans indice Christum,
 Syncerum Paulum, sacra docendo, resert.
 Dixeris hunc Lucam scriptis librisq; disertis,
 Scripturisq; potens alter Apollo fuit.
 Collegas inter reliquos longaua Ioannem
 Annosum, & etas & coma cana facit.
 Deferret primas Hipponis Episcopus illi,
 Hunc si vidissent secula nostra virum.
 Concedat palmarum vel multa laude trilinguis
 Presbyter à sacro nomine nomen habens.
 Magni Gregorij præclara volumina cedant,
 Et prætor præsul cesserit Ambrosius.
 Pace loquar vestra, veneror quos cetera, nostro
 Errorisq; minus, plus pietatis inest.
 Quanti hominem facias censor diuine Luthere.
 Te præfante graui sit mihi testis Amos.
 Tharsensi Cyprius fuerat quod fidus Achates,
 Id noster viuo sancte Luthere tibi.
 Cum fera defuncto Schuermeri bella mouerent,
 Brenti hyperaspistes illius unus eras.

Ergo

doctissimorum virorum.

71

Ergo sit ingratus mundus, præfratre Papista
Rumpere, Sectarum turba prophana creper,
Semper opus fructusq; tuus libriq; manebunt
Brenti, tu in suavi pace quiesce Dei.

CLARISSIMI VIRI, PL- ETATE ET DOCTRINA EXI-

MII D. D. VVILHELMI BIDENBACHII

Ecclesiæ Studtgardianæ Antistitis digniss.

& Illustriss. Principis Consilia-

rij, Carmen.

Virtembergiacæ non infima gloria terræ,
Brentius, hac tumba, condidit ossa senex:
Brentius in Domino pastorq; paterq; colendus,
Cuius in eternum viuenda fama viget.
Antistes populi, celebris Studgardia vinis.
Quem fouet, estq; pij Curia chara Dux.
Quantus erat, tantus docuit cœlestia tantum,
Latatus meritis maxime Christe tuis.
Hinc semel ingressus vestigia sancta Lutheri,
Nunquam peruerso tramite flexit iter.
Doctrinam fidei per mille pericula sanam
Lustra decem resonans peplore, voce, librī.
Num duo bis septem lustris prope iunxerat annos,
Pertexens vitæ stamina longa breuis.
Omne opus hunc decuit, iuuenemq; virumq; senemq;,
Quodq; alios docuit, sponte peregit opus.
Cum bene de patria, de religione merendo,
Doctrinæ raceret semina pura sacra.

Docuit an-
nos 50.
Vixit ad

724

Cum

*Cum Cathedra, veluti puppi, indefessus, ab alta,
Sollicita clavum verteret ipse manu:*

Cum neq; Tartareas Romani Praesulis iras,

Nec tremeret Regum scepera superba pius;

Sed sua pro Christo certamina fortis adiret,

Iustaq; pro vera sumere arma fide.

Sic neq; Pontificum poterat terrere Tyrannis,

** Nec Schuuemerorum fallere techna virum.*

** Necop, Diuini quoniam lampas nudiissima verbō*

ad expri Præstat inoffenso pergere posse pede.

mendū Credidit, & sancte vixit, patienter obiuit:

Bōbos Nam fuit in magno corpore magna fides,

crabo Hanc quicunq; reges Cathedram, quicunq; docebit;

nū, quo Illiū aternū te meminisse decet.

rū simi les sunt Ut non deficias etiam si flectere tentent,

fanatici. Qui violant summi verba fidemq; Dei.

Heb. 12, Autorem fidei speles: finemq; salutis:

Tristia sic poterunt nulla nocere tibi.

Diue vale Brenti, mulcet prærepte periclis.

Et tua cum Christo gaudia vera cape.

Nam tibi mors somnus facta est, requiesq; sepulchrum.

Donec in extremis concinet illa tuba.

Tunc iterum latus rediuiuo corpore surges.

Accipiens fidei præmia magna tua.

Vive pater Brenti, radijs super astra mieabis,

Nosq; tamen scripta voce docebis, Amet.

Clarissimi

doctissimorum virorum.

73

Clarissimi & præstantissimi viri, D.

Stephani Feierabent Iureconsulti, & Rei-
pub. Haylpronensis Syndici dignis-
simi, Epicedion,

T Ransit ad æthereas sedes celeberrimus ille
Brentius, & toto notus in orbe senex.
Præcipue patriæ notus, cui pluribus annis
Sedulus exposuit mystica sacra, meæ.
Hala Sueorum salis & dulcibus vndis
Clara, sed in media condita valle iacet.
Aduena quam fessus, vix tandem proximus illi,
Conficit, & nullos hic putat esse lares.
At vbi declivis tangit vestigia collis,
Excelsas turres iam videt atq; domos.
Et primò templum Michælis nomine sacrum
Occurrit, forma, materiaq; decens.
Plurima templa videns, aliud vix credo videbis,
Sole magis clarum, splendidiusq; loco.
Scandis enim, cum summa peris iam limina templi,
Per quadraginta fronte duosq; gradus.
Conficit inde forum, minus haud, puto, iugera campi
Quam duo sint, populo, mercibus atq; frequens.
Præcipue circumstant vndig, ciuib; aedes,
Ornatu vario, conspicuæq; domus.
In dextraq; fori, dulci salie vnda liquore,
Inferius multò surgit & vnda salis.
Contiguus fluiio locus est, hinc sæpeq; dulcis
Miscetur salso, sed sine fruge, liquor.
Vrbem distinguit medium Cicer impiger amnis,
Sueus & Francis dividit atq; solum,

K

Insula

Insula flat media longè pulcherrima valle,
 Quam Cicer alluui lambit vtring sua.
 Muris cincta suis, tilijs decorata vetustis,
 Conueniens ludis, innumerisq; iocis.
 Arborifer placidis, circumfluit vndiq; limphis,
 Occultitur lignis sèpè Cicerq; suis.
 Quæ procul ex nigris incurvo tramite syluis,
 Imbribus & varijs amnibus auditus agit.
 Arboreos truncos, humeris lis quinq; ferendos
 Corticibus nudos sculptilibusq; notis.
 Qualibet arbor enim Domini fert signa, puerq;
 Protinus exiguus singula signa refert.
 Huic, ait exclamans, Domino sua pertinet arbor:
 Illa sed illius, robora ferte, viri.
 Conueniunt multi, vicinis quilibet oris,
 Vt precio paruo pondera magna ferant.
 Ligniferi ciues, tum ligniferi q; coloni,
 Quos raga paupertas, dura famesq; premit.
 Quæ ligna aduectar Cicer, illa rapacibus harpis
 Ex medio liquidi fluminis amne trahunt.
 Prægrandes pinus, magna vi ferre laborant,
 Subiiciunt oneri collaq; dura graui.
 Hic humero dextro corium gerit, ille sinistro,
 Taurorum, bini lignaq; more, gerunt.
 Sal quibus excoquitur, cuius regione propinqua
 Maximus eſc; vſus, præcipuumq; lucrum.
 Coctoresq; salis Vulcani more, modoq;
 Conficiunt operas nocte dieq; suas.
 Brentius hic Christi doctrinam pluribus annis.
 Explicuit, sacri gloria summa chori.
 Hic ego diuinam vocem, mirandaq; dona.
 Illiū audiri per tria lustra, puer.

doctissimorum virorum.

75

Huius & instinctu factus sum Iuris alumnus,

Aetus ad id stimulis summe patrona tuis.

Cum pueros inter iuuenis versarer, & Halæ

Cum cuperem patriam rector obire scholam.

Brentius id cernens, aurem mihi vellicat atq;

Ad magis alta gradum me celerare iubet.

Obsequor, & cessit bene res, sit gratia Christo,

Gratia patrono maxima, sitq; meo.

Quorum opera melior, tibi si quoq; gratia Coccii,

Sum factus, pariter sitq; Ismannne tibi.

Brentius, Ismannus, præceptor Coccyus acris,

Lumina abduc patriæ sunt tria summa meæ.

Quidquid & in sacris didici, rebusq; prophani,

A tanis fateor me didicisse viris.

Brentius excellit reliquis ramen, orbeq; toto

Vix, puro, consimilem secula multa ferent.

Magnus & hunc eoto dilexit corde Lutherus,

Eximiè doctis præposuitq; viris.

Hic, ait, Italici constringet iura tyranni.

Illiū impinger nec sine laude caput.

Idq; nec incerto prædixit carmine vates,

Euentus quoniam sic satis ipse probat.

Pontificum maior quis enim fuit hostis? & astus

Verius illorum, quis meliusq; docet?

Plura quis aduersus vanissima somnia scripsit?

Pontificum fraudes, Pontificumq; dolos?

Robore quis tanto Romanae sedis alumnos

Prostravit, larvatas perfide Papa tuas.

Fortius illorum quis & argumenta refellit?

Simplicibus faciunt queis sine fronte dolum.

His Deus est nullus, sed habent prænumine ventrem,

Ventricolas igitur, Papicolasq; voces.

Brentius at vere summus pietatis amator,

Æterni cultor maximus atq; Dei.

In rebus fidei cuius monumenta leguntur,

Quam latè occiduus, sol oriensq; vider.

Integer & constans, cum summa pericula fortis

Germanos premerent, Pontificisq; furor.

Cuius & instinctu Germanis Carolus arma

Intulit, innocuis & sine labe viris.

Brentius hic mœstus patrijs decedit ab oris,

Cogitur & proprias linquere pastor oves.

Hunc Basilea fouet profugum, miserata sinistram

Fortunam, officio quolibet atq; iuuat.

Inde fit ignota villa Præfettus, & ipse

Ignotus pariter, vestibus, ore, loco.

Dum furor & rabies atrox Hispanica cessat,

Lætior exulibus fulget & aura pijs.

Inclita Præpositorum facit hunc Stuggardiæ tandem,

Virtenbergiaci nobilis aula Ducus.

Prædicat hic verbum multo cum seniore sacrum,

Plus quatuor lustris, iam senioq; grauis.

Fortiter oppugnans errores vndiq; falsos,

Miles ut in castris iam veteranus agit.

Impie Papa tuos, dum summos taxat abusus,

Et retegit fraudes Sote proterue tuas.

Dumq; tua pugnat pro maiestate superna,

Qua regis in cælo nunc homo, Christe Deus.

Te faciunt quorundam hominem delyria nudum,

Viribus & nobis, heu mihi, vixq; parem.

At tibi sunt homini nunc omnia subdit a soli,

Terra, polusq; simul, que Deus ante tenes.

Errores contra falsos pugil optimus omnes,

Brentius inuidia sedulitate fuit.

Quisquis

doctissimorum virorum.

77

Quisquis amat verbum, sinceraq; dogmata Christi.

Lugeat, heu, tantum sic obijisse virum.

Vivit at ingenio, viuet q; per omnia secula.

Sic pariter viuit spiritus ipse Deo.

Corpus ut exigua tenerum putrefaciat in urna,

Hoc tamen invita morte resurget humo.

Nunc placidum dormit post multa pericla soporem,

Insidijs tutum, Pontificumq; dolis.

Aec vbi supremi iam venerit hora diei,

Acquiret vitam tunc sine morte nouam.

Membra reformabis nam sic tua Christe redemptor,

Vt nunquam possint amplius illa mori.

Defectus nullos patiemur & omnia nobis

Præstabit largi gratia larga Dei.

Splendebunt supra solem tunc corpora nostra,

Vinceret & ipsorum sydera clara nitor.

Tunc quoq; tu Brenti superabis lumine Phæbūm,

Iunctus Apostolico, tuq; Luthere, choro.

Lugeat omnis amans verbum, pater optime Brentii,

Non te, sed sacri fata futura gregis.

Lugeat expendens mala qua plerūq; sequuntur

Maxima præciuos, post sua fata, viros.

Lugeat & lacos deuoto corde precerur

Successus fidei, qua places una Deo.

Lugeat atq; pijs sancti patris, optima quæq;

Cum placida requie, manibus optet, Amen.

ORNATIS. VIRI D. PAVLI HVL.

denrichi, Illustriss. Ducis VVirtenbergi,
ci, &c. Secretarij, Carmen lugubre.

A Vdio quos gemitus? quos planctus? quos ylulatus?
Singulus medijs fleribus unde graues?

K 3 Lugubres

Lugubres passim cur sic in corpore pallas,

Fædato gestant fæmina virq; suo?

Ominor, insignis quis concidit, absit at omen,

Ne non sit tanti prompta medela mali.

Brentius (ah) nostris obiit celeberrimus oris.

Brentius ingenio maximus ille suo.

Id nunc est tanti mæstissima causa doloris.

Symbola fert lucus quilibet inde sui.

Is teneris etenim munus sortitus ab annis

Tradideret ut viui dogmata pura D E I.

Non obiter, non languidius curauit id vñquam,

Quæstibus ut saltē dedita turba solet.

Vila nec ambitione nec vani gratia mundi,

Flexit ab officio pectora fida suo.

Sed sicut rerum vir prudenterissimus ysu,

Acer & ingenio, iudicioq; gravis,

Doctrinaq; valens, & dicendo atq; docende

Vir demirandæ dexteritatis erat.

Sic quoq; sincera nulli pietate secundus,

Officij nec erat sedulitate sui.

Magnō feruebat diuinæ laudis amore,

Et studio cœtus C H R I S T E benigne tui.

Viribus hoc totis nitens, spectauit id vnum,

Præcipius scopus hic, primaq; cura fuit,

C H R I S T V S ut in vasto satis immotesceret orbe,

Quantus persona, quantus & officio.

Rebus & humanis quantum præstauerit, & que

Ipsius merito munera quisq; ferat.

Quamq; sit æterni bonitas immensa parentis,

Isto qui saluos nos velit esse modo.

Et sic præclarus diuini præco fauoris,

Vulgauit laudes optime C H R I S T E tuas.

Hæc

Hac quoq; vindicibus defendens dogmata scriptis

Plurima fortunæ dira pericla tulit.

Odia sustinuit multorum summa potentum,

Exilium veritus nec subiisse fuit.

Rebus in ambiguis, quando phanaticus error

Spargeret implicitis tetra venena modis.

Ille vigil subito fraudem deprendit, & ipsos.

Mira detexit planius arte dolos.

Adde quod ipsius precepis, splendida vita

Integritas compar simplicitasq; fuit.

Sic metus hostis erat, sic anchora fida piorum,

Exemplar vitae, normaq; certa sacrae.

Qui credens, sanctèq; docens, sanctè quoq; viuens,

Nunc cum sanctorum principe sanctus agit.

Tu D E V S alme tuam precor o ne desere turbam,

Quæ miserè es tanto (prob) viduata viro.

Suffice doctores alios, apertosq; magistros,

Qui simili trepidos prosperitate regant.

Donec ab hac vita migrantibus, intimus ipse

Defacie ad faciem conspiciendus eris.

IN NOBILIS VIRI, IOAN. THEO-

dorici à Plieningga, magni VVirtenbergensis Curiæ Ma-

gistri, & IOANNIS BRENTII, summi Theologi, Ecclesie

Studgardianæ Prepositi, Principalium Consiliariorum, & Tubing-

Academie Commissariorum, suorum gratissimæ recordatio-

nis Patronorum, beatum ex hac vita discessum, Mar-

tini Crisñ, Tübinger Professoris, Elegia.

G R A E C A.

Oν μένοι αφερόμενος ἀγόμενος ἔποχος ἀλλοι:

Οὐ μόνοι οἱ Χριστὸι γένετο Χριστοφόροι;

Αλλ' αὖτε καὶ νεκροῖσι, σωμάτιδα δίκυνγον αὐτῶν
βελτίσωμέταρθρον, οὐδὲ στάριθμον ἔθη.

Γεννῶντος πλιενιγγήθομνον τοῦ θνέτονος ὄρθρον.

Βρέπεται δόφθαλμῷ φροῦδαντος ἀφ' ἡμετέρων.

Βρέπεται δόχριστον μακραῖον ῥῆμα στιθάξεις:

οὐ πλάνης ἐσθλὰ γραφών, πλάνης ἀνηράς ταῦθάρ.

Εὔλενίας μετέθην πράδηγμα, αὐτετής τε φαενής:

Θύμλογίκης ἐκρύθη, πριμηγηῆς τε, τύχης.

Τῷ σοναχέτι βαλλί: οὐλαίσιον θεόφρονες ἀνορθεῖς:

Γυμναστορ πενθεὶ προσατένοντας ἐστι.

Πῶς δ' αὖτε πεγκυτος ἐγώ, καὶ αὖτε περιτος πελέθοιμι;

Οἶδ' ἐμέ, τὸν πόρον ἔχω, χῶρον ἔθνηναμ ἔχειν.

Τοῖσθι δέ εὐνοίας θεούμηντον τοῦ θνάτου τε καὶ ἡμέρ.

Πῶς μεταχωρεώτωμεν μάλιστοι μάλιστοις;

Αλλὰ τάδε ἀθανάτῳ βασιλεῖ επενάδε βαλλεῖ:

Ταῦτη ίστις ἔντονος μητέρας ταῦτος.

Ηθελόγγος, οὐδὲ δόχριστος βιθαντος αὐτέρων ὁμόφρονας ἐγνώ,

Συζυχθέντας ἐμέτοντας καὶ θανάτοιο τέλον.

Ηθελεμητέρων μετά φροντίδα σωτονομ ἔργων,

Γέρως καὶ ναμάτων ἔβαναλνέμεναι.

Ηθελέλαφείων πάτημας ἀσερόεσταρ,

Σύμη Χριστῷ γάρ τοι σφάσε, φίλα τοῖο μέλλει.

Ηθελέλαπλακιῶν ἡμάς, μὲν ημέτορον ἄλλο

τλάμετον, ηφαλέντης μετάνοιαρ ἀγειρ.

Εστι μετάνοιαρ, εἰς δὲ προτρέπεται (σωτερές αὖτις,

Συνθρωπόμ) τε βλέπωμ) οὐρανὸς ἀχλυότες.

Ταῦτα, τάττοντος βασιλεῦ, μάτε τέρμην δανε λάστε:

Οὐ πρέπει, οὐδὲ μηδεὶς γένδαιμ, ἀφανδανέμετον.

Εμπτα σὺν λυπηροῖσινοις οὐδὲ στρεψεροῖσινοις:

Ποίμνης στοιχειών αἵρετος ἐπιτρέφεο.

Κάθορον δὲν βαλλεῖ: οὐσίοισι πράγματος οὐδὲ:

Γυμναστος βύτωρ ἡμετέροιο μήτε.

Ηπιορ ὁρχὸν δῆκε μετὰ χώρης σῶζε: τέλος οὐ
Καὶ ἡμέας Χριστῷ ζεύγνυθι φίλα μέλη.

LATINA.

Ego non solo priuamur Principe claro:
Non solus Christo iungere Christophorez:
Parsed amicorum quoq; dat præstabile leto,
Sub terra condens, mortis auara manus.
Præstantem Plieningerum non cernimus vltimā:
Ex oculis abiit Brentius ille bonus.
Brentius ille Dei tot Praco fideliter annos:
Casibus & scriptis notus usq; suis.
Nobilitatis abeſt exemplar, viuaq; virtus:
Candida Pastoris cessit imago pij.
Ergo consilium languet: pia pectora lugent:
Ereptos Ephoros per Schola nostra doler.
Ipse pias lachrymas qui non profundere possum:
Hoc, ubi nunc, illi me posuere loco.
Illi me studio fouerunt usq; benigno.
Quā desiderio non memor usq; permari?
Sed quid agamus? Erat placitum sic Omnipotenti:
Sic voluit sapiens, sic bonus ille pater.
Quos prius in vita benē iunxerat vna voluntas:
Tendere par iunctos morte volebat iter.
Vita quibus foret assiduo traducta labore:
Annorum voluit fasce leuare graui,
In patriam voluit stellantis ducere cœli:
Quos Christo posset iungere membra suo.
Nos voluit monitos prauis abstistere factis:
Eueniant nobis ne grauiora mala.
Conditio quod idem monet hæc tristissima Solis:
Teſti, ceu muro, nubibus usq; nigris.

Sic placitum tibi, Rex rerum venerande : nec ulli.
 Quae placuere tibi, displaceuisse decet.
 Tu tamen afflictis clemens succurrito rebus:
 Inde fessa tui sit tibi cura gregis.
 Consilij curas releua : pia pectora fulci:
 Ereptor nostræ semper adesto Scholæ.
 Cum totaq; Ducem serua regione benignum:
 Deniq; nos Christo iungito membra tuo.

ORNATISSIMI ET DOCTISSIMI

viri, Domini Ioannis Lauterbachii, Poetæ coronati, & Hayl
 prunnenfis scholæ Præceptoris vigilansissimi,
 lugubre carmen.

Brentius, egregium cui fecit gratia nomen,
 Ingenuus sanæ religionis amor:
 Strenuus assertor qui maiestatis I E S V,
 Scriptura docuit teste salutis iter:
 Decurso vitæ spatio, satur abstulit annis
 Iustifica Christi præmia digna fide.
 Ingenio superecc terris, mortale sepulchrum,
 Expers mortis ouans spiritus astra tenet.

Doctiss. & humaniss. D. M. Leon-
 hardi Engelharti, Professoris Tubin-
 gensis Επικήδηος.

Si pietas vñquam iussit me scribere carmen:
 Gratia carminibus si referenda fuit:
 Nunc pietas hoc vera iubet me scribere carmen:
 Gratia carminibus nunc referenda meis:

doctissimorum virorum.

83

Et pia iusta tibi soluam clarissime Brenti:
Brenti, cui reddi gratia digna nequit.
Audiui meritum Christi puer atq; adolescens
Laudante patre bis duo lustra mea.
Hala mihi patria es, falsis vberrima lymphis:
Sueus & Francis vrbs bene nota viris:
Cuius veramq; fidem depicting nummulus offert:
Effigiem dextra scilicet atq; crucis.
Ac cunis mihi semper erat tua concio grata:
Sic tua semper erit concio grata mihi:
Fidus eras præsul iam bis duo lustra Ducatus:
Ornasti salutis consilijsq; Duce.
Sed nunc te tua fata vocant, tibi grata: sed illis
Tristia, qui cuperent te remanere diu.
Virtenbergiaci cuncti tua funera lugent:
Luget & occasum tota Tübinger tuum.
Non aliud propter, nisi quod testentur amorem
In benefactoris commoda mille sui.
Quis retinere Duci chari pia fata sequentem
Vellet? & ô Brenti, quis retineret eum:
Quem monstrasse Duci, quo tramite, scimus, eundum,
Semper cum Christo possit ut esse suo?
Nobilis à Bliening anteit te ponē sequentem:
Vadite, cum vestro semper & este Duce.
Te sequitur senio confectus Regulus: Hale
Præceptor primus qui mihi fidus erat.
Quos DEVS in mundo fragiles coniunxerat, illos
In Christi saluos iunget & ille sinu.
Omnis testatur mundus, vos munere vestro
Egregie functos: ite vocante DEO.
Paulo post eadem vestigia vestra sequemur:
Hic, adamans Christum, non cupit esse diu.

L 2

Epitae

Epitaphium eiusdem per
Leonhar. Engelhart.

Bis septem lustris iam Brentius addidit annum:
Corporis & posuit membra cœduca sui.
Illi⁹ in mundo semper pia scripta manebunt:
Sed bonus in cœli spiritus arce sedet.

ECLOGA,

Quæ inscribitur MELIBOEVS,
a M. Iaco. Grætero iuniore, se in ea Amyntam
vocante, iussu parentis sui homonymi, & sub Moeridis nomine
intellecti, composita, qua Reuerendiss. viri Ioan.
Brentij senioris, obitus, sub tituli per-
sona defletur.

MELIBOEVS.

MOERIS, AMYNTAS.

Tempus erat, paribus quo pendula diuidit horis:
Libra, suis viribus descripti limitis annum:
Mitis & ad celos coquitur vindemia colles.
Tum Moeris nuchi pecoris clarissimus æger
Pastor erat, lenticumq; caput symptoma premebat:
Ut neq; commissos in pascua ducere posset
Læta greges, neq; de stabulis furesq; luposq;
Pellere, Bucolicis aut inuigilare Camenis,
Perpetuos quibus ante dies traduxerat, aptis
De Christo ludens numeris pastore supremo.
Hoc ubi resciuit Natorum primus Amyntas:

Posthabitus

Posthabitis celeri proprijs pede ouibus, ipsum
 Inuisit, simulans vultu meliora, dolorem
 Corde tegens, longæ concessaq; tempora vitæ
 Multa precabatur. studium viresq; loquendi
 Cura Deusq; dabant. dicta acceptaq; salute:
 Ecce citus veniens perterret nuncius ambos,
 Qui perhibet lucis Melibæum tempora fundum.
 Mox senior duplices ad sydera tendere palmas,
 Mæstus & ex alto suspiria ducere corde,
 Et tremula tales effundere voce querelas.

M O E. Ergone pastorum Melibæus maximus ille
 Concidit, aeternis longè dignissimus annis?
 Quid me nunc fiet? vita mihi carior ipsa
 O Melibæe mea? non iam mihi docta licebit
 Ora videre, quibus nos sàpè vocare solebas,
 Ædibus abstrusos medijs, ad amana vireta,
 Huc ubi diuinos numeros monumentaq; vatum
 (Iussa Patris summi) museosi fontis ad vndam,
 Mollibus in ripis, mira ratione legebas.
 Non ego difficiles posthac, velut antè, rogare
 Te potero causas, in Relligione, nec ullla
 Consilia in dubijs rebus, monitusq; fideles.
 Heu mihi, quos luctus, que vulnera sœua dederunt,
 Et nobis totiq; simul tua funera terre
 Teutonicæ, reliquisq; locis, ubi pulpita Verbum,
 Sacraq; solemnesq; Dei seruantia cultus.
 Seria non ullis deprauant dogmata nugis?
 Quin video properare diem, quo mersa cauernis
 Tisiphone stygijs, volat agmine cincta sororum,
 Instillatq; animis corruptos vndiq; sensus,
 Et rabidos fera corda virûm compellit ad iras,
 Ausorum tamen antè quidem nil hiscere contrâ.

A M Y. O diros hominum casus, quò tristia vertam
 Pectora? quid dicam? nostræ spes magna Iuuentæ
 Solus eras, solus Musarum fautor & auctor,
 O Melibæ mibi, tu numine plenus amico,
 Sine Palæstina velles, seu voce Latina,
 Seu patria potius de promere carmina lingua:
 Suetus eras cunctos superare, quod optima scripta,
 Robora dum montes, vinum feret rura, probabunt.
 Ergo te sylue, te nota fluenta petebant
 Pastorum Dominum, rigidas quicunque per alpes
 Sueuiacosq; agros, ac Heßica rura morantur.
 Sic adeò peregrina graues ne pabula fætas
 Inficerent tibi cura fuit, pecuaria per te
 Auctaq; nec scabiem sensere, nouosq; dolores.

M O E. Quid referam placidos in honesto pectora mores?
 Omnibus ut charus, cunctis bene fidus amicis,
 Principibusq; viris gratus, docilisq; Iuuentæ
 Ætatem, ranos senij perduxit ad annos.
 Integer, excellens rara probitate, potensq;
 Consilijs, præsesq; sacro dans iura Senatu.
 Tantus bonus doctæ vocis, tam celsa diserti
 Illius oris erat maiestas, quando pudicos
 Explicuit vita mores. si forte querelæ
 Inciderant, pacem poterat suadere Magistris
 Armenti, trepidis solusq; resistere rixis.
 Ite domum placide, si quis pudor ite silentes.
 Illius ad monitus, mox & fera monstra Brigantum
 Diffugere, truces & diffugere Leones,
 Et taciti à caulis, latebrosa per avia fares.

A M Y. Proh facinus præsens tantum quo sustulit annus,
 Pastores calamis celebres & arundine claros?
 (Heroas fileo magnos) quid deniq; censes?

M O E.

M O E. Quid nisi quod vatum memorant prædicta piorum?
Quodq; ego principiò referebam : plurima Mundo
Impendent mala, queis Dominus iustosq; probosq;
Se prece solliciti cordis trepidante vocantes
Eripit, & tutos per cuncta pericula præstat.

A M Y. Ergo quidem meritò, sed nostro nomine mortem,
Atq; tuum geminus casum Melibæe : licet tu
Elyios teneas campos, fedesq; beatas,
Hic ubi persanctis epulis, & nectare Diuum
Exploris, nusquam peritura fluentibus annis,
Arna colis, propriosq; greges & pignora cernis,
Ante Deisolium magni, cui candida quondam
Vnigenam Natum, teclô sub paupere, Nympha
Prægenuit sine connubio, tactuq; virili.

M O E. Ecce ita : sed memini cum decebat, Olympo
Phæbus iens medio, rutilos caligine vulnus
Texit, & effraida Coccus tristior urna
Fluxit, ad hunc etenim per pinguis prata regebat
Mille greges olim. Fleuit (scio) lucidus annis
Neccarus, Aonidum qui præterlabitur urbem.
Quin (puto) ad inferias quoq; montibus & de summo
Colle ruunt duræ quercus, ruit Æsculus omnis:
Ipsa comas abies, pinus, tiliæq; repexas
Auellunt, teretes folijs spoliantur & alni.
Te mœrens luget pastor, te curuus arator,
Te mœsta Dryades lugent, tristesq; Napæe,
Omne nemus complent modò fæmineis lamentis.
Te fragiles coryli repetunt, humilesq; myricæ:
Tam dilectus eras. & nunc etiam Melibæe,
Mentibus ex nostris illo deleberis aeo,
Quo celeres vdo pascentur in æthere Cerui,
Rhenus & in sicco tardabit littore pisces.

A M Y. At nos hic miseriis incassum quæstibus horas
 Complemus pater, & rubeo procedit Olympo
 Vesper, oues tepidum mandans in ouile vocare.
 M O E. Ritè mones fili, sed corpore debilis ipse,
 Quod possum faciam, supplex Dominumq; rogabo.
 Conceptas anno pœnas auertat, & alma
 Pastoresq; gregesq; simul sub pace gubernet:
 Donec sera dies, perfecto temporis aeuo
 Adueniat, superas cœliq; vocemur ad arces.

Venerandi viri D. Conradi Zasij
 Diaconi Studtgardianæ Ecclesiae,
 Dialogus funebris.

ECCLESIA.

H Eu heu quas lachrymas, gemitus, suspiria ducam?
 Ex quo fonte meas rore rigabo genas?
 Ohe quam misere tali super orbe relinquier,
 Amisi columen præsidiumq; meum.
 Brentius antistes mens exit ab orbe paterq;,
 Temperet aſteru quis sibi quæſo ſuo?
 Casibus innumeris his ſum iactata diebus,
 Cuius nunc nitar nuncq; leuabor ope?
 Ah cur non plangam, mea cur non pectora tundam?
 Tigride ab immani crederer eſſe ſata.
 Que non chara ſuo charo viduata marito
 Sponsa gemit? Christifīc ego ſponsa gemo.
 Eia age qui magno de Christi nomine gaudent.
 Sanguinis & quibus eſt vel pia gutta ſui.
 Vos mecum ſancti pia collugebitis offa.
 Patri, id eſt tumulos fas decorare ſuos.

Experi

Expersi sensus solem tristatur ademptum
Terra, quis haec sancti rideat ossa patris,

BRENTIOMASTIX.

Proh Dij, proh cælum, proh tellus, proh elementa,
Quæ mihi fama sagax nuncia grata refert?
Gaude Papa pater patriæ Petriq propago:
Ille tuus cecidit maximus hostis, oua.

PAPA.

Dic mihi quæso quis es, truculentus hic hostis in orbe:
Nam mea res auris prurit auetq nouas.
Obstupe & lætor simul, inter spemq metumq
Fluendo, mens si non sit mea certa rei.

BRENTIOMASTYX.

Brentius es, ô sancte pater, Rex magne Deorum:
Scilicet occinuit quæ tibi semper aus.
Qui tu, non modicis afflixit regna ruinis,
Quiq tuas multum vir minuebat opes.
Qui (res ô miseranda) tuos attriuit honores,
Quiq potestates fregit in orbe tuas.
Quo viuente viro Monachi esuriere miselli,
Sorduit hoc reliquo sancta cuculla viro.
Obscuręq tibi triples nituere coronæ
Rome, Sacrificū friguit obe focus.
Gloria, maiestas, æs, aurum, cunctaq quæ sunt
Sedis Apostolicæ digna vocanda throno:
Hec ubiuis fermè sunt debilitata locorum
Penè nihil si non occubuisse, eras.
Religio, Bullæ, Canones, extraq vagantes
Cum Clementi nisi quid valueret sibi?

Misse, Missale & Graduale, Arnoldus, Aquinas.

Quid bonus Iacobus mouit eumq; Scotus?

At meliora tibi post hac pater optime spera,

Mortuus haud mordet nec noctis se potest.

P A P A.

O felix felix ter sum quater atq; beatus:

Haurio quod sanctis auribus ista meis.

O Monachi fratres vos exultate sorores:

Vester honos & opes rursum adesse solent.

Brentius ille meum virus vestrumq; barathrum

Exitij perijt. Tu Maria alma caue:

Neue reuiuiscat furuore resurgat ab orco:

Nil alias nisi quam perdita turba sumus.

Hactenus exilio mea Decretalia passim

Spreta volauerunt, quando superflues erat.

Ille meis semper fuerat contrarius ausis

Brentius, ac aliam nunc sed in ibo viam.

Vt domus infirma es, cui firma columna recessit,

Sic Templum illorum claudicat atq; crotat.

Sunt reliqui facili mihi nunc ratione domandi,

Hi duce nam dempto nullibi magna queunt.

C H R I S T V S.

Queso quid affectas, spiras, moliris & audes

Contra Euangelicos perfide Papa viros?

Eſc durum contra stimulos impingere calces:

Quos tu persequeris Iesus ab axe videt.

At qui praua palam tua fraus detecta per orbem es,

Nec vires nec opes tu reparare potes.

Sat tua duravit longum violenta Tyrannis,

Sat violauisti ius hominum atq; Dei.

doctissimorum virorum.

91

Oberudes iterum tua num deliria mundo?

Nondum vis fusi sanguinis esse satur?

Innumeras animas Stygijs quam merseris vndis,

Hæc malefacta frequens sunt recolenda tibi.

Orgia quæ quo se pomposa superbia vestra

Bacchabatur, erat quam tibi dextra rapax.

Quot tua damnarunt Anathemata Papa proterue,

Brentius hocq; meus fulmine pulsus erat.

Niteris incassum Babylonem condere rursus:

Vrbs cecidit, rasum nec reuocare potes.

Pestis erat viuens tua, perniciesq; Lutherus

Triste tuumq; suo funere funus erat.

Sic meus hic magnus tua Doctor Brentius Hydra

Si non viuus, erit possum sua fata tamen.

Succedunt illi pariter pugnando parati,

Heroës, famuli, sedula turba, mei.

Qui te magnanimi prosternent robore Verbi

Hectoreo, monstrum quod retegentq; foues.

Qui verbi gladijs anathemata vestra retundent,

Quosq; feris poterunt te referire trucem.

P A P A.

Si nos Hæretici pergent iugulare libellus,

Brentiacus nec erit tutus ab ense meo.

Quotquot & opponunt mihi se, iugularier illos

Ferro, igne, exilio, flumine, func volam.

Strenuus utq; siem veterum defensor honorum,

Nullus omittetur motus opusq; mihi.

Cur non affererem cur non vlciscerer aras?

Quis pater & natos deserat vsq; suos?

Quisq; adeò famæ propria ecce neglector & osor,

Vi nulla sejse viq; doloq; tegat?

Cardine, corniger o sum sic instructus & armis,

Regibus ut nullis cedere forte velim.

Sum Dominus Dominum, rex regum semper ero.

Terra, polus, mare, Styx, ad mea iussa silent.

Concilijs, Missis, Italij munitus Ephebis

Sum, neq; Sanctorum destituendus ope.

Nunc age quis Papam solio turbabit ab alto?

Quis Daemon poterit ledere tale caput?

CHRISTVS.

Hæc sunt Antithei Goliathica verba Thrasonis.

In templo Domini qui sedet atq; Deus.

Tunc Dei Gnato vis esse potentior alto?

Cerbere de Roma quid minitare pijs?

Possum Papa meos armare ad prælia fratres

Ne tua dilaniat turba lupina meos.

Illorum dextris ceu fortis signifer asto,

A dextris vestris militat ipse satan.

Nil tua proficiunt horrenda tonitrua, te nil

Are rubro grandis cista reserta iuuat.

Antiquum quod si retinebis & esse manelis,

Inq; meos Christos tu maledicta vomes.

Aeternis mox te reprimam cruciatibus, Apri

Hasq; tui penas, quas meruere, luent.

PAPA.

Heu quis subueniet capitiq; meæq; corona?

Aetum de nostra eccl Religione, foco.

Quis Deus eccl venter cœlumq; culina, relanguent.

Sunt quibus & vestes & coma rasa, fides.

Sum tuus o Stygia transfuctor Pluto paludis,

Vendentiq; animas Psycholethrumq; fane.

Ipsa

*Ipse ego pro Roma sat enim pro sede Petriq;
Pugnaui, pugnent sic alijq; Papæ.
Postera progenies me laudibus efferet amplis,
Quamus Hæreticis panda gehenna vocor.*

ECCLESIA.

*Spes animosa mihi rursus concepta triumpho,
Solamenq; mali qui foret ipsa scio.
Inter me sacrum saxumq; hærere reliq; am
Solan censem, nilq; tuebar opis.
Anxia ceu titubat nauis quassata procellis,
Fluctibus in medijs remige cymba carens.
Hinc raga discurrit spaciofa per æquora, monstros
Obuia, Scyllæos labitur inq; locos.
Ut trepidè balans quis atq; vel hædus oberrat,
Pastore amissò, que leo præda tibi es.
Sic inter medias rebar me stare charybdes,
Atq; feros vrsos inter & esse lupos.
Intima sed iò nunc lætentur viscera cordis
Remus, asylon ades, portus & aura mihi.
Ille sacri verbi rutila præeundo lucerna
Haud dabit ut falsum pes meus intret iter.*

BRENTIVS.

*Alloquio me Christè tuo dignare patrono,
Seria sunt tecum quæ loquar atq; petam.
Nominis atq; tui caelestis spectat honorem,
Postremos placida percipe mente sonos.*

CHRISTIVS.

*Noble vir audacter (neg. enim pia vota precesq;
Abnuo) mi Brenti differe, quicquid habes.*

BRENTIVS.

Iesu Christe Dei fili charissime frater,
 Aspice turbati sacula nostra statutus.
 Undique quam varijs Ecclesia voluitur undis,
 Illa triceps Romæ quale chimera fuit.
 Quam male distracta est animis discordibus inter
 Fratres, qui iactant Christicolasque bonos.
 Quam tua de porcis vastatur vinea multis,
 En tua quot currunt in sata culta fues.
 Heu quotus est inter eot mille pericula mundi,
 Quiue tuum vero nomen amore colat.
 Ab pie Christe tuum cœtum defende pusillum,
 Esto tibi curæ Religionis opus.
 Haud magis ipse senex possum poteroque vel ultra
 Pascere pastor oves atque docere tuas.
 Declina rigidi Turcaeque Papaeque furores,
 Zuinglica pestiferam schismata tolle luem.
 Quicquid est à te nos auertit, verte retrorsum,
 Palantes paſsim collige rursus oves.
 Collige de cœtu quoque pectora idonea paruo,
 Qui tua postremo hoc tempore facta canane.
 Cordibus irorra sacram mortalibus auram,
 Ut sola sapiant cognitione tui.
 Cordibus vnanimes da Reges atque docentes
 Eſſe, Ministerium ſit fideique pium.
 Sint unum, doceant unum, fateantur et unum,
 Laudis et aucupium ſit procul eſſe malæ.
 Ne quisquam Circes pro veri ſemine verbi
 Pabula, vel leti toxica dira paret.
 Da Paulos, da Timotheos Titosque fideles,
 Ne tua turba malis ſit laniena lupis.

Christo

Christe fac Antiochi, Pharaones atq; Nerones

Plures ne vexent teq; tuosq; rotent.

Quiq; animas cupiunt cum corpore perdere nostras,
Perdideris, ne sint perdita turba tui.

Christe reduc lapsos, si qui ignoranter aberrant
A recto verbi tramite quæso tui.

Custodi sobolem suauem cum coniuge nostram,
Ultima sunt hæc hac vota precesq; meæ.

CHRISTVS,

Eia age mi Brenti fratrum charissime frater,
Has certè efficiam pondus habere preces.

Quid tam sollicitè pro nostro attendis ouili,
Ipse volo custos & vigil esse gregis.

Qui me propugnant, oppugnant atq; Papatum
Doctores suberunt in statione tua.

Ad Patris excelsam sedeo super omnia dextram,
Omnipotens video cuncta regoq; potens.

Quiq; Patrem fecit te multa prole beatum,
Ille pupillorum sic volet esse pater.

BRENTIVS.

Nunc animam tibi Christe meam commendo redemptor,

Præripe me magnis cladibus hocq; solo.

Sat vixi mundo, cælo vixisse voluptas

Ecc etiam mihi & hic esse perennis ope.

Cum Paulo cupio carnis compage resolui,

Conspictuq; tuo tum sine fine frui.

Ah sine te, sine te nil me super orbe maligno

Exhilarat, præ te sunt mibi cuncta lutum.

Vita quid es? hominis nisi crux mera, dulce malumq;

Mors mortis nostræ vita lucrumq; tua es?

Te didici, docui, te sum confessus ubiq.
 Alsi, sudaui, multa tuliq. tibi.
 Semper adhuc constans te speq. fideq. fatebor,
 Contra omnes portas ostiaq. atra stygis.
 Da mihi te videam, videam quoq. sancta Lutheri:
 Ora, manus, oculos, Angelicosq. choros.
 Haliu in extremo me maxime Christe iuuato
 Ultima de cælo vox cane, munde vale.

CHRISTVS.

Optime mi Brenci cœlis optabilis hospes,
 Quo petis i dignus me sequitorq. polo.
 Tu fidei fructus cape præmia læte laborum,
 Magna fuit pietas magna fidesq. tua.
 Virtutisq. tuae quæ, qualia, quanta decora
 Extiterint, linquens experieris humum.
 Qui de iusticia vera ac pietate docebant
 Multos, fulgebunt hi velut astra poli.
 Quare ageris felix (Resipiscito pessime mundo)
 Inq. Abrahæ æternus lusoris usq. sinu.

EPITAPHIVM.

Inclytus ut quondam Patriarcha obdormit Iacob
 Obdormit placide sic pius ille pate R
 Hunc qui pro merita poterunt extollere laud E
 Angelica sed ei voce canetur Hyme N
 Nomen, bonos, pia librorum monumenta manebunt T
 Nescia tam celebris Brentia fama mori
 Ergo salutiferum Brenti super æthere corn V
 Sors tua sit Christus, Christe redemptor adeS.

ANNVS

Annus quo D. Brentius obiit, sequenti
Disticho exprimitur.

CSito, obiit præstans & honor Vr BrentIVs Heros,
HInC InIlt Chrlsto ConCoMItante poLos.

**Eximij Poëtæ, & humanissimi
viri D. M. Erhardi Cellij,**

B R E N T I V S .

BElle beatorum benedictio baiule Brenti,
Bellipotensue scip breuiat? baculumq; bipertiit?
Bete, bone Brenti, Brenti bone baiule, bete.
Bella beatorumq; basis, bulleutaq; Brenti,
Bellerophon Brenti, Basileus, Barionaq; Brenti.
Bellatorq; bonus Brenti benè belligerasti.
Barbaricus beneficissi bellissime Brenti.
Barbaricos benedixisti blandissime Brenti.
Bellasti bibulos, Bacchum, Babylona, Baalq;
Bellastiq; Beelgeephoriq; Beelzeebubq;
Bacchaturq; boatq; babæ Babylonia, belbus,
Bacchanturq; balatrones, bardi, baratrones,
Blax, blennus, bronii, basiliscus, bucco, baceli,
Barbariciq; balænaq; bestia, belua bullat.
Blasphemi blaterant blaterones, bacchanturq;
Bellasti bellè Brenti, benè blandificasti
Bufones brutos, bullantes bile bibones.
Barbare bulla breuis, boa belua, Brentia busta
Blasphemas? balbutis barbaricarie blese.
Brentia busta boni benedicunt biblia Brentij.

Balandoq̄ boni benedicunt : bibliotheca,
 Bibliopola bonus, balando biblia balant
 Balando Basileius, balando Basilæa
 Balat Baptismus, benè Baptisteria balant,
 Burgundi balant bene bellacesq̄ Britanni,
 Belga bonus balat, benedicens biblia Brenti,
 Balando Bataeus balat balando Boemus.
 Balato Borea, benè balatoq̄ boaq̄
 Bosphore, balando blandissime barbite bala.
 Brentia busta boni, benedicant busta beati
 Bete bone Brenti, Brenti bone baiule Brenti,
 Belle beatorum benedictæq̄ baiule Brenti.

CARMEN LVGV BRE

MAGISTRORVM, BAC-

calaureorum, ac Studiosorum, quos Illustrissi-
 mus Princeps ac D. D. Ludouicus, Dux VVittenbergensis & Thec-
 censis, Comes Mortis Beligardi, &c. pro suo singulari erga studia
 literarum affectu in Academia Tubingenfi numero satis magno fo-
 uer, deplorantium mortem viri sancti, verèq; Episcopi D. Io-
 annis Brentii, Studiogardianæ Ecclesiæ Præpositi vigi-
 lantisimi, prie in Christo defuncti XI.
 Septembri, Anno
 LXX.

Ω Μοι δὲ μάλα πάγχυ μόροι ἔγκλαζεν:
 Ο μάλ' αὐτικρός τῷ πρωτοῖσι φάλες.
 Ηγίδ' αὐθηπάσθι τὸ πρῶτον ἔξειρμα φάσος τε
 τῷ δέ αὐγαθοὶ χορδ, αὔτημα πάντος ἐλάωμ
 Κρουπναί δέ τῷ δέπεζαι λυγρώς εἰπεί οὐδὲ θεός
 Ευτεβέωμ ἐπεσερ καρτεροὶ ἔρμα χορδ.

Amurp

Αμμιράταιρ μηκονίας ἐώμ θόμ πενθιμ Θ αρέ
Εἰλεῖσ, μησάων δὲ σέλας ἔσκε κλυτρό.

Γνῶθ' ἄρα δὲ νικᾶ ἀλγος ὁ παμπόλλωρ φρείας ἄλε
Λυγιμελές: καὶ ἀνοβωρ κέκλυτε λευκαλέωρ.

Η μάλα πῦτο ἐπ Θ πάσιν θυμαλγές ἔτυκτο:
Αλλ' οὐ μορσάχειρ ἀλγοφορεῖται πρέπει.

Κένορ μὴν θεός ἡρπατος ὁς ἀνθρώπος ἐκένασο
Ἐργυμασι φιλοιάλοις, τὸν ἀλαπαδνόν ἀρής.

Ορχαμ Θ ἔσκε θεοῖς χορός, μᾶλλον δὲ προφῆτης,
Νωλεμέως χριστού μελιχα κῆλα τέμωρ.

Κέν Θ ἀρεσός ἀπασι, φανότορ Θ πυρός ἀνυπήσ,
Θυμῷ ιηρύσσωμ ἐνφρονίζημα θεός.

Εξ ἔργων μογέωρ, μεγάλην ἐπιειμένο Θ ἀλικέ
Ἄσ πασός λαμπροῖς οὐ μεταρρόσι φανεῖς

Ναὶ τυχλί σε λῦσι θεός κακότη Θ ἀπάσις,
Θυμαλγές τὸν ἀφελῶμ ιηρας ἀλαλκε θεός.

Τίλι δὲ μάλις ἀναδημίαν πάπεχ αἴσιμορ ιημαρες
Ηρεος γαρ θάνατο Λυσίτελλή τα πολύ:

Ος γαρ ἀφικρπάσι θεός φελας οὐ θένει ιδεῖσ
Γρείν κατασίλβειρ ες βίστητα πικραμ.

Οθνέοις φά Θ, ἀρχός έοίς, πάντοις δὲ δόλο Θ
Η γλυκερή δ' αὐδή ἐχετο τῷ σόματι.

Πολλὰ καὶ αὐτὸς ἔρεξε οὐκέπιστ ἄξια ἔρια:

Ἐργυματα αἱμφ αὐτῷ λάμπειο θάνυμα ιδεῖν.
Ος δὲ ιρατὺς χριστού πρόσολ Θ, καὶ τῆμα σοφισῶν,

Δοξοσόφοις ιρυθρός, τοῖς ἀναθοῖσι φά Θ.

Καρπερόχειρ αἱμάγυπτ Θ τιλι ἐτορόφρονας ἀνοθας
Τίς αἱθημορινές μύθῳ ἐλεγε Βαρεῖ.

Αλλ' ιθὺς δὲ ξεθρῶμ μὲν ἕτε ιρατερός πεσοφόσ τε

Τὸρ δὲ θάνατο Μησωρ ιηρός ἐλυσε ιακίς,
Θείω λατήρι ξυσοιχῶν πισός Αχάτης,

Βίσλοις ζῷος δεινῷ ιηκελ Θ, οὐδὲ πέρι.

Τῷ γε μὲν ἐμῷ τῇ θεατεσίς ποδίδιαγμα λόγοιο

Τὸν πάρερ ἔνσωμέν : τινὶ δὲ τοῖς χαρέσι.

Σοὶ δὲ πάλιν θεοὺς πεθερούς σπίλαστρον

Θηλέαν : ὅτι ἀνθρώποις Τοῖς μακαροῖς φίλῳ.

Ηνίδε νωὶ νέορη θελῷ καλθόμενη, ὅδι ἀντεις ἀνάξαι

Πυροῦμέν εἰς ἀσθετούμενον έργον ἀνερχόμενον.

Τῷ λοιπῷ χωρῷ δὲ διδίδασκε, χορος πατέροντα

Οἳς τιστῆσιν σὲ σοιαχθεῖς πολὺ.

Αἱ δὲ τύβιγγα, τ' ἔσθι σοφίκες, καὶ πάτρια φύλα,

Οἳς σὸν φεύγγει, βρέντες θεῖς, μέλῳ.

Ηλικὴν σέο πάσα μόρον νεοπενθεῖ ἔχοντα.

Θυμόμενος αὐτοῖς πλαταῖς πάντα γοῦ.

Γρήνιος δὲ καὶ ἡμέρη πάντα φύλα μελίγυρῳ αἴσια.

Κυκλαῖς, φαλαρίδες, ἀσματαῖς δῶματροῖς.

Εὗ πιῶμεν γέρεσσον φίλα φρεσοῖ μίσεις εἰδότες:

Σπέρματα λόγγα θέντι σίδει πολλὰ φέρων.

Κάρτει τῷ Χριστῷ πεποιθώς, ἡνορέψτε,

Μή σφιτέρην πυρὸς δέσματα ἔμψει παῖς.

Πλάνηις καὶ θέντει μηδέρη συμβάλλει ἄριστος

Εἴ μη δὲ ἀνθρώπων θυμοῦ ἄγκη ὑπατός.

Ως ἐγενέτη παλῶς : θνίσοντα δὲ Τά θραύματα Χριστός.

Πίστείς εἰσαΐεις λάμπασθι ζῆτε θεῷ.

Νωὶ μὲν ὁ φίλοι τοτὲ μητρόμεθα αἰλικής,

Κυνοβά πορίζομενάς, αἴσομενοι πολὺ.

Κλῦθι θροτῷ εἰπίνερε θεός, καὶ δῶτος ἕάρων

Σένεον δυομετέωρ τινὶ πανότητα πιμελόν.

Διὸς τάπερ αὖτε επιχθονίας τῆς ὥδοις ἵκεδε.

Πίστείς : εἰ τᾶς δὲ αὖτανόμον ἐνέψω ἔχειν, Αριλά.

LATINA.

Heu mihi quām fatum fatali dicitur hora,
Quām fors hæc miséris nuncia dira venit.

Catus

doctissimorum virorum.

101

Cætus eximij lumen, Princepsq; columna

Occidit, in quauis re mediocre tenens.

Mox isthac sequitur pos^t tristia funera funus:

Cætus nam cecidit firma columna pijs.

Quiq; fuit nobis Mecenas fata tulerunt,

Tristia qui Musis lux veneranda fuit.

Ergo dolorem animos penetrantem & frigida membra

Noscite, vel quantum turba misella gemat.

Illa quidem cunctis res e^t malè grata futura,

Attamen hanc mæstam conuenit ire viam.

Hunc equidem Deus eripuit qui ornauit honestis

Mortales factis, Magnanimumq; virum.

Dux fuit Ætherei cætus vereq; Prophetæ:

Et paut Christi sedulus ille gregem.

Gratus erat cunctis rutiloq; illustrior igne,

Mente docens bilari viuida verba Dei.

Magna operum fessus vi, magno robore mentis,

Suavis, mirandus principe in æde fuit.

Ergo animam vere virio Deus abstulit omni

Dum curas mæstas, damnaq; cuncta tulit.

Maxime at exitio nostro dies ista Lycæo

Exitit, abrepto hoc, morte tremente, viro.

Is surreptus enim e^t aderat cui summus, ut esset.

In vita hac tristi lumen, & orbis amor.

Lux alijs, dux iste suis, utrisq; minister,

Hesit iucundo vox sed in ore pia.

Multa quibus merito fecit referatur ad astra,

Gestis resplendet, qui videt usq; stupet.

Fortis erat Christi miles, formido Sophistis

Horrendus vanis, præsidiumq; pijs.

Magnanimus, constans, qui contra audenior ibat,

Indoctos carpens voce, styloq; graui...

Sic prudens, sapiensq; hostes constanter adorsus,
 Liber ope eſc factus consilioq; Dei.
 Diuinum ſectans Luciferum ut fidus Achates
 Libris huic Magno par erit, aut melior.
 Pro quo diuini docuit qua ſemina Verbi
 Spargemus : merito hæc gratia digna tuo eſc.
 Teq; Deus meritò generofa prole parentem
 Auxit, quem ſancle turba beata colit.
 Ecce etenim ex ipſa germen radice resurgit,
 Stirpi hinc crescenti gloria multa venit.
 Sed meritò & templi ſedes, chorus atq; piorum
 Te plorant multumq; teq; filere gemunt.
 Heu Sophiae ſedes patrium genus atq; Tubinga
 Vox quia diuini non ſonat iſta viri.
 Flent tua fata viri, lugent iuuenesq; ſenesq;
 Christiadum aſiduè turba miſella gemit.
 Atqui hic Cygnus adhuc carmen canit ore ſonorum
 Cygnæum, Psalmoſ, dum dedit ipſe melos.
 Officijs ſenuit, decretaq; prouida mente
 Multa gerens, imo pectore verba Dei.
 Solius ergo ſui confiſus robore Christi,
 Conſcidit horrendæ vincula dura necis.
 Robore quippe ſuo quicquam, nec viribus ullis
 Nemo poterit, has non ſi iuuet ipſe Deus.
 Sic certè vixit : Moriens ſed vulnera Christi
 Ipſe fide afficiens vixit abinde Deo.
 Ergo ſenis noſtri robur memorare colendi,
 Et cole mortalis turba frequenter eum.
 Audi ſed noſtrum auxilium, dator atq; bonorum,
 Fac pereant hostes, turba maligna cadat.
 O Pater o nobis limen tetigiffe miſellis,
 Daſidei atq; illinc teſta tenere Poli.

dolissimorum virorum.

103

Doctiss. D. Magistri Iacobi Kauff.

*manni in Schola Studtgardiana supre-
mi Collaboratoris Elegia.*

EI ιπε χιοστεώμωρ χρόδες ἔκχει πινάρα μηταίως
Δαικρυα, καὶ ταύτως κλαίει μὲν δὲ πρεπόρ.
Κάππειος θέρισθι σαλπιζόμενος ἐριθείται απάντωμ
Βρύλειθε, δειπνοτάφεις νιφόμενος πλικάς.
Εμπικές τοι ὅλοφυρεθαυπέρα μετριότηθει:
Ως δλειθερίας θάντος ἀλλα δέδην.
Δελονότι αὐτοῖς ταφεῖς ὄσα μὲν σαθρά καίλυφες
Καὶ φείμενοι καὶ γῆς σῶμα βέβηκε μόνον:
Πνεῦμα δὲ γινθοτιώσας ἐξ ὀλυμπιοντος ἀσφρέοντα
Οὐδὲς αὐτέπησει τανδιώντοι θεός,
Αὐτόθι λαοσόφων συζητοὶ φίλοι αἴσι.
Παντάμειθε πλάτωμα δὲ ύπεφρηστ, τόνωρ
Εὐθύδειρφειθείτηρε φίλοι τοισιγένεια
Ιχθεύωρος σκεύρως ταῖς ἱερᾶς σέλιδας.
Οηρίζειται ερδυτήσας μετίτηκο ποναύτια
Γιώτηρος οὐλαγε μόλις τίς βροτέοιο γείγει.
Τχύτην ταλυμδρεῖς γράμφας βιβλάζει λόγασε
Ιφι, διδίκεις δύστητος ἀντολίσκει σαφῶς:
Οὐρανίωρος δὲ μελαθρῶντος ἐπιβαίνεις ἀπάντας
Ειγεγαῶτας Αδάμοντος γόνοντος ταπτοῖς
Τῷρ φρεσῆρος ἐκ γῆς πολλάρι αὐτάξιον ἀλλώρ
Ηρπαστεις παντηράτωρ δάματος ἐς αἴσια:
Η μάλα θητοῖς χιοσταδαῖς ήρπαξε βροτοῖσιν
Αρπάλιμορναθαρεῖς προσκραυθεῖτοι εἶσι.
Τοῖνα λιατάμεθα θεόρ δόμηναι θνάτοιο.
Αὐτὸν αὐτὴν αὐτέρωρ δρεχαμοι εὐτετέωμ
Ιος δὲ μελίχειθε, αώφρωρ, πνημάδειθε αἴτη
Ορθοτεμένης ερεμηταῖς φοτλίδεστημενημ:

Kal

Καὶ ταλάνωρ ἀλιπῶρ ἄγαθ' ἔς θραγὸρ αὐλήρ
 Χρισόρ οἰκευτῷρ ἡδὲ θεόρ.
 Ος μόνον ιλαῖξας μᾶνηρ πατέρος θρανίοιο
 Αμμι σταυρούρη τὴρ πελέαρ αἰνέδω.
 Τέπο τοκεύς Χρισός ἐλεήμωρ ἔιθεδ' αἰνάραι
 Μέχρι βίοιο τέλη ήμέας ἥρα λαβέαρ.

Optimi & doctiss. D. M. Simonis
 Studionis, Collaboratoris quartæ Clasis
 in Schola Studtgardiana, Elegia.

QUAM sub flammigeri radiato sydere Solis
 In varios luctus omnia rapta gemunt.
 Cum vetus intenues nondum diffugerit auras
 Discrucians summè viscera nostra dolor.
 Mox nouus insinuat se sine murmure mæror,
 Ut mens perpetuis nostra sit aust'a malis.
 Vix iuuenis Princeps Eberardus, & integer æui,
 Ex hoc ludifico mortuus orbe migrat.
 Illicò Christophorus longè celeberrimus Heros
 Innocuae vitæ tempora functus obit.
 Nec tamen istorum fatis contenta quiescit
 Ingluuiies mortis, terribilisq; famæ.
 Sed fremitu diro debacchans proruit vlerà
 In nimium claros sanguinolenta viros.
 Nam rapuit rursus misereri nescia nostri
 Eximia magnum nobilitate virum.
 Sub quo perpetuo, tanquam rosa verna, vigebat
 Virtenbergiacæ Curia sancta domus.
 Cum vix hic fuerit structam conclusus in vnam,
 Intrat idem lethi Brenius æger iter.

Quem

Quem meritò luget pullis velata lacernis,
In madidis posthac Teutonis ora genis.
Imò, quem meritò mæstis Ecclesia signis
Sparsa per hæc mundi plurima regna gemit.
Nam sibi non solum priuatos natus in usus
Fudit in humanum commoda tanta genus.
Ut citius roseo Titan progressus ab ortu
Ad maris occiduas arduus iret aquas.
Quam semel hæc, et si dulcedine Nestora vincat,
Exprimeret dignis lingua diserta modis.
En ubi iam geminos lustris cum quattuor annos
Natus ab excelsis prodijt ipse scholis.
Æthereæ cœpit concendere rostra cathedræ
Inclita præconum lectus ab ore senum.
Ac pius ad mentem meliorem duxit ab astu,
Tartarei furtim peccata capta canis.
Quæ vomuit cœci mendacia plena veneni,
In Latia regnans perfidus arce pater.
Hæc grauium rerum nullo discrimine motus
E medio (vires Numine dante) tulit.
Et sua restituit diuinis lumina dictis,
Lumina Pontificum contenebrata dolis.
At quæ marmorei sacro sub fornice templi,
Christicolas viua voce docebat oues.
Hæc eadem nitidis scriptis emisit in auras,
Ut quoq; vicini cognitiona forent.
Nam quæ de prima nascentis origine mundi.
Legiferi scripsit dextera sacra senis.
Quæ bene Iessæ cœlestia barbita Regis
Psalmographis quondam personuere sonis.
Quæq; per ætates varias oracula vatum,
Sub tacitis olim concinuerenotis.

Quæ quoque, scripperunt, quae facta potentia Christi
 Historico filo complicuere, patres.
 Hac dedit in vulgus claro dilucida sensu
 Facta per immensos, conspicuosque libros.
 Non sic in fuluum clausus Carbunculus aurum
 Ex medio fulgens explicat orbe iubar.
 Nec sic per spiculum lucente per aera Phœbo,
 Vnde Crystalli lucida gemma nitet.
 Ut nunc irradiant eoto fulgentia mundo,
 Sacra per hunc sanctum splendida facta senem.
 At quæ præterea numero sa volumina scripsit
 Extra variidos, Mosaicosque libros.
 Prætereo. Nam per vicos, per claustra, per vibes,
 Hac numero tanto Teutona terra fouer.
 Vi si quis iuuenum conscribere velle in unam.
 Massam sepositis omnibus illa moris,
 Huic sua sufficeret vix ullis artibus atas,
 Dum graue sub finem duceret aptus opus.
 Heu quantis curvis illi constabat ad ysum
 Conueniens nostri temporis iste labor.
 Vix unquam rosei certus prænunciis ortus,
 Protulit alatos Lucifer albus equos.
 Quin ipsum tacite confinxerit ante sedentem
 Inter diuinos, æthereosque libros.
 Sepe suos currus obscura nocte regebat,
 Sera per umbrosas rosida Luna vias.
 Hunc tamen inteneris vix unquam stertere plumis
 Repperit, ut medium fessa peregit iter.
 Nam vel tum summo diuina volumina zelo
 Legit ad accensæ lumina sera factis.
 Vel, calatum sacro flatu ducente, futuris
 Olim Christicolis veile scripsit opus.

doctissimorum virorum.

107

Id frequens egit, cum iam sub limine mortis
Inficeret fuscas cana senecta comas.
Quæ dedit in lucem, mox hac defendere cœpit
Coram Papicolis, Cæsareisq; viris.
Colloqujs sacris accitus sâpè patronus,
Æmulus à vera religione stetit.
Remq; piè captam tanta virtute peregit,
Sollicitos Christo discutiente metus,
Vt quoq; funesta suprema pericula mortis,
In tacito parui duxerit ipse sinu.
Nam veluti circum circâ frenudentibus austris,
Stant rata ventosi spumea saxa freti.
Sic sletit in cunctis constanti peccore dictis,
Sic grauis immoto perficit usq; gradu.
Nec sua suffisis revocauit scripta litoris
Ob Latias diras, Cæsareasq; minas.
Cum rabidus trifiti Schmalcaldica mœnia bello
Militis yrgeret, Pontificisq; furor.
Tum satis illius pietas spectata per orbem
Claruit, & quavis firmior arce fides.
Coniugis asperium mæstissimus antè reliquit
Exul, & afflicti pignora chara thori,
Quam timida saluam doctrinam voce negaret.
Effugiens scui fulmina dira Papæ.
Sicut in his ausis semper cœlestibus vñus,
Vera Christiæ militis arte fuit.
Sic alijs donis virtutum floruit auctus
Ingenuo dignis, Christicolaq; viro.
Non sibi postposuit laudum splendore minores:
Omnibus ipsius commoda vita fuit.
Non minus agricolis vultu ridente salutem
Dixit, quam nitidis nobilitate viris.

Penè prius cepit, quam mites ante fenestras

Funderet, attenta pauperis aure preces.

Illiusrq; frequens, quantum decet, ære leuauit

Vrgentemq; scim, lethiferamq; famem.

Nam facilem dandi dextram durabile pondus

Nouit apud lenem semper habere Deum.

Cuius ad aspectum prodire per ultima lethi,

Funera flagrabit feruidiore siti.

Quam gelidas riui ceruus sitit aridus vndas,

Vt bene iam tatus languida membra riget.

Qui rebemens ardor fecit rugosa senectæ.

Tempora sublato commodiora metu.

Nam, veluti portum spectans Naulerius, ouabat

Se minimis fultum viribus esse senem.

Cum gelidæ mortis prænuncia cana senectus

Certa sit: vt primi veris hyrundo comes.

Quare cum tacite proreperet ultima lethi

Hora, per ardentes sœpè petita preces.

Intrepidus perslat generosi more leonis,

Summaq; lœtanti pectori fata subit.

O lucem nimium dulcem, qua Præco salutis

Brentius aterni scandit ad astra throni.

Nunc peragit nullis languoribus obrutus æcum

Inter cœlicolas, angelicosq; choros.

Nunc, que non hominum terrestria lumina cernunt,

Splendida supreni Numinis ora videt.

O lucem nimium tristem, qua Brentius auræ

Deseruit mundi, terrigenumq; genus.

Nam benè de terris meritorum fata virorum,

Infaustum sub se sœpius omen habent.

Aut reprobo mundo feralia bella minantur,

Aut tenebras Verbi, iusticieq; famem.

*Hæc mala tu queso clementi discute vulnus
Summe parens, per quem statim cadit salus.
Vtque per hanc vallem lachrymarum pace fruamur,
Hostica sublimi contere tela manu.
Aethereo sacri verbi largire ministros,
Et sine polluta prouehe labe fidem.
Vt post hac misera superata pericula vite
Calicolum sedes ingrediamur. Amen*

Eximij viri D. M. Nicodemi Fri-
schlini, Poëseos in Academia Tubingen-
si Professoris doctissimi Carmen.

*C*onde tuos Titan obducto lumine vultus,
Conueniunt airo nubila mesta polo.
Neccare, qui tacito ripam preterfluis amne,
Decolor & tristi labere tristis aqua.
Occidit illa sacra fulgens pietatis imago
Brentius, antiquæ relligionis apex:
Vuirembergiacæ virtus & gloria terræ
Occidit, indignas solue elegia comas.
Solue elegia comas, Ecclesia solue capillos,
Confugiuntque tuum præsidiumque iacet.
Cultor & antifes diuini numinis, auum
Qui triplex Pylij viuere dignus erat.
Namque sacras tenero chartas sectatus ab ævo.
Qua potuit Christi profuit arte gregi.
Indolis & doctæ vires ad publica vertit
Commoda, nec diras fugit Auerne tuas,
Sequio comitem præstanti mente Luthero
Præstit, & verbo pauit ouile Dei:

Quando Euangelij redierunt lumina puri
 Ante à Pontificum contemerata dolis.
 Multaque, cœn fidus Christi in certamine Athleta
 Pertulit, heu tanto non patienda viro.
 Dum bene, deieclis Romanæ ritibus aulae,
 Monstrauit populo dogmata vera pio.
 Edidit & chartas, exanimauitque labores
 Totque inter scriptis sœua pericla libros.
 Penè quibus sacri prolixæ volumina textus
 Commentis fecit lucida tota suis:
 Menibus inuitus, calamo indefessus & ore
 Strenuus, atq; styli dexteritate potens.
 Pro quibus officijs multas Ecclesia grates
 Debet, & aeterno tempore prompta feret.
 Sed nunc ille iacet pietatis idoneus auctor
 Brentius, immenso notus in orbe senex.
 Cuius in electam tot sunt benefactæ cohortem,
 Nesciat ut dignis vox celebrare modis.
 Heu nihil humanis fas quenquam fidere rebus,
 Quas labor & fati vis inopina rapit.
 Mors ruit, heu furibunda ruit, totumque per Orbem
 Fulminat, & dubijs aduolat usq; rotis.
 Illustresque viros, rerum capita alta, trucidat
 Seu Politia tuos, greci pie siue tuos.
 Sustulit hæc eadem Theodorum sanguine clarum,
 Vuirtembergiaci lumen & arma soli.
 Heu iacet & sacra non infima fama palestræ,
 Raptus ab Abbiacis Paulus Eberus aquis.
 Et cadit annosus maturo tempore Gallus,
 Qui vigili celebrem reddidit ore Deum.
 Ergo doles merito, meritoque Ecclesia luges,
 Dæstaque tristificis fletibus ora rigas.

Namque

doctissimorum virorum.

III

Namque tui vigilant alti sine fine dolores,
Praetque tuis foribus noxa timenda iacet.
Aut inuisa dijs carpis cœlestibus auras,
Qui tua tam duro crima fuisse domant.
Aut grauiora tuos expectant damna nepotes,
Aut nostrum lædent (omen abesto) caput.
Quicquid id est plorare decet, lachrymare decerque,
Largieer & nostris indoluisse malis.
At tu sancte parens, cœli noua gloria, salue,
Cumque tuo Christo gaudia vera cape.
Iam nihil obfuerit tibi detrectator Asotus,
Quique tuas obeunt teter Asote vices.
Nulla tuas vñquam lædent conuicia laudes,
Quæ Suermorum liuida turba iacit.
Salue, salue iterum, cœli noua gloria, BRENTI
Cumque tuo Christo gaudia vera cape.
Iamque hæc sufficient: paulò prost tempore vitam
Et mortem referent carmina nostra tuam.

O D E

Funebris in obitum Reuerendi vi-
ri, de Ecclesia Christi, per annos 50. optimè me-
riti, D. Iohannis Brentij, scripta ab
Henrico Polano à Polans-
dorff, Silesio.

BRENTI vale Theologorum maxime,
Vale, DEI periculis
Viuens fuisti qui in malis amabile
Ecclesiæ solarium.

Ter prædis

Te prædicanda fidei Constantia,
 Clarum per orbem redditum.
 Te nobilis Fatidici regis liber,
 Dedit perenni gloria.
 A&C nunc dolis repletis hostium, D E I
 Qui iusta fidis temperant.
 Traditionibus, Salutis pignora
 Atq; vitiant sacrilegè,
 Defunctus omnibus laboribus, palum
 Victor petijisti lucidum:
 Vbi salutis author alma gloria
 Tuum coronat verticem.
 Ergo vale, mei q; cultum carminis
 Dolore textum flebili,
 Si quid beatos fragilis mortalium
 Iuuat honor superflitum,
 Suscipe, sepulchro corporis ossa cubent:
 Memoria duret Nominis
 Non tristibus vñquam senectæ denib;us
 Æruginose obnoxia.
 Donec credib; arbiter mundi D E V S
 Vita daturus gaudia
 Cœlestis, omnibus suæ Clementia
 Fidentibus ex pectore. AMEN.

I D E M.

FELIX BRENTI cui cœli debita sedes
 Optatae donat dulce salutis opus.
 LUTHERO fidus socius, charus q; PHILIPPO,
 Et pura vindex religionis eras.
 Concilium CHRISTI sancta nunc mente frequentas,
 Cernis & in Triplici numine numen idem.

MELA Y.

In honorem sepulchralem clariss.
viri D. D. Ioannis Brentij.

ΟΙΘΩ ο κέλιθω τριμβροτος αλλασφεγγής
λάμπη, καὶ σάντ' ἄρδα σελινός τ' ὅμιλα παλύπη.
Καὶ μηνι λοιποῖσι μεταπέπει πάσα πόρ ἄρδα
Επυχιοι λαμπῆρες ἐπ' οὐρανῷ αμφέρονται.
Ως δέ μὲν λαμπτοι μετ' ἄλλοις αθανάτοισι
Υψίφανη πατ' ὄλυμπομ, οσσοι λόγοι πρανόδεικτοι,
Εἰλικρινη, ἀκριτορ, ἐπιχθονίοισιρ ἀνοιξαμ.
Καὶ πλλασ σιλχόμενοι θεοπερπέι Φορβη
Ψυχάς ιδράνωντο καὶ ψλύμπω προίαται.
Ως γαρ ἔμαντεν Σεντο, θεόπεροι Γεροι ἀνοθες,
Χ' ὑψηράτωρ Θεός αὐτὸς ὑπέκιν καὶ πατείσθε
Δώσειρ τοῖορ ἀπινοιρ Σταυροντηροιρ ἐλίστηρ.
Αῦταρ ἐπει σύγε ΒΡΕΝΤΙ αριστομάχωμηλέος ἀνορθῶμη
Αιχρώμη οι Χρισοί θεοπερπέθω πορί Κημῆς,
Χρεοτηρ ἀλλ' πόδεστηρ ἀμισόμενοι ἔμάχοντο,
Πολλ' ἐπαθεις καὶ πλλορ ανέτηλης ὥναθε μόχθοι,
Κηρύατωρ περιάφαντε, καὶ σίγηα πράγμασ' ἔφπει,
Αριεπηνή, ὑγιής μιθωρ Σταυροῖτα θείωμη,
Καὶ τινά εἰδιδαξας ίδιορθοιοι οιμορ ἔδειξας.
Εὐσεβίης, Θρέφας πεβροτούς θεοτρεπεί Φορβη.
Βασιν ίθι, καὶ απόλανε μετ' ἄλλοις αθανάτοισι
Τὰρ ἀγαθῶμη, τάτ' ἐποίμα πατ' ὑρανόμη αφθονα πετται.
Ενθά συ γυμνός εἴρη ἀχεθω καὶ σήματθω αἰνθ,
Θεοχαρης, καὶ ἀντοθω, ασώματθω, αἰθορίης πε
Τῆς Κημῆς αμέραντορ ἔχωμε σέφθω ήδυπαθήσεις,
Τριανοφαη, μόνορ ὄντα, σωήρι, στενύματ' θ' ἀγνα
Τὸν θεόρ αἰτύκησιμορθούμενοι θ' ὄφθαλμοισι,

Ἐμ πούτω τῷδε χάρμα κεῖ εὐφροσύνη τῶνσι.

Τέθ' ἡμῖν δώροις Ολύμπιοι ἀλεβολίσαν.

Χαῖροις ὁ φίλε ΒΡΕΝΤΙΟΣ ἰδεὶ σχενίσαις μετίης.

Συντλῶσις Κλικοῖσιρ ὄμεστος ἐλαπινασίς.

ΟΛΒΙΟΥ ὃς νίκησας ἄχι βαρυαλγέα πόσμα,

Νικηθέας πάρ, ἀγῶνας δὲ ἡμῖν ἀτέλειος ὅπισθιμ

Δεῖστετ' ἔτι ζωστικὸν πάρερον ὑφεραμ.

Αλλὰ κεῖ ἡμῖν δώσει θεός πρλυγιθέα νίκην.

W. F. N.

E C H O

Austriimontana, obitum Reuerendi
in Christo Patris, Domini Doctoris Iohannis.
Brentij, Theologi huius ætatis facile
principis, deplorans.

Virtembergæ tuis cur tundis pectora palmis?
Quid defles mastæ voce colonus? Echo. onus
Christophori nondum luxisti funera patris?

Aut noua suppeditat parca secura? Echo. fera.
Est fera quod fateor, parit at quid quæso dolorem?

Quisne iubet clerū plangere rumor? Echo. amor
Spernere consueuit mundana, hiat alta Sacerdos.

Splendida res fuerit quā modo querit, Echo. erit
Forte gemit fidum rātem nunc ægra trahentem.

Corpora, Iohannem turba sacrata, Echo. rata.

Fata sinent longos superesse hunc Nestoris annos,

Hoc fulcrū patriæ, nam bene slabit, Echo. abit

Iam

Iam fuge nec pergas mutilatos edere questus
 Stabit non abiit, iam benè stabit, Echo. abit
 Heu heu quid miserum turbas, extrema resultant
 Verbi, que signant heu male nomen, Echo. omen.
B R E N T I V S in superas vates dic cesserit auras
 Dogma ubi Saluifico ritè probabit, Echo. abit
 Iam iam neclentes fatalia pensa sorores
 Incusare iunat flereq; grata, Echo. rata.
 Ite decor, cadat ex humeris nunc splendida vestis
 Quisq; canat lachrymis funera cana, Echo. canat:
 Echo habitans altos montes nunc tota remitte
 Verba precor questus, Dux perit, Echo. heu perijt.
 Tristia nunc tundat Germania pectora palmis
 Nam pater huic credit Dux quoq; gnauns, Echo. auus.
 Disce mori quisquis superes iam sacra tuere
 Mæroris redimas, ut tua valle, Echo. vale.

CARMEN NUMERALE in annum mortis.

*Vt L Ibre tet Ig It pr IM as fo L eCCe repente,
 ACCeſſ It Brent II ſp Ir It Vs aſtra po L I*

Aliud annos ætatis & mortis
annum continens.

*Brent IV s apprenDens terq VIna en LVſtra Iohannes,
 ACCed It Celfos, oCIA grata, Lares*

Andreas Fabricius Silesius.

Ad clarissimum atque amplissimam
dignitatis virum, D. Ioannem Brentium, Sacro-
sanctæ Theologæ Doctorem, inclytæ Academiæ Tubingensis Pro-
fessorem sedulum, Mecenatem suum summa animi obseruantia co-
lendum: de obitu patris sui, viri celeberrimi, D. Ioannis Bren-
tij, salutaris Euangelicæ doctrinæ propagatoris &
propugnatoris acerrimi, nunc cum
Christo æuum agentis.

Scriptum ab Augustino Fabritio Sylesio,
gratitudinis ergo.

VNÀ omnes pariter, matres pueri q̄, senes q̄,
Fundite nunc lachrymas: luctus Heliconis alumno.
Editæ nunc trifles: miseranda fortis iniquum
Deflentes casum. Nam suavi lumine cassus
Brentius. Hen cultor pura pietate parentis
Æterni, cuius nomen dispersit in orbe:
Luci & restituit: tetricq; eduxit ab umbris
Carceris in tenebris, & cœta nocte iacentes.
Monstrauitq; viam, cœli quæ ferret ad astra:
Et C H R I S T U M intrepide lingua eccl calamoq; professus.
Protulit inq; diem mansura volumina chartis
Perpetuis, contra mendacia inania Papæ
Dæmonis Ausonij: qui somniat esse potentem
Se cœli, stygijq; lacus, amnisq; seueri
Eumenidum. Brenti tu munere flaminis almi
Fortiter hunc veritus non es contendere contra.
Ergo posteritas lucis ventura sub auras
Posteritas te seracanet: celebrabre semper.

Semper

doctissimorum virorum.

117

Semper honos, studijq; tui monumenta manebunt.
Sed mors cur rigida è viuis, hunc lege tulisti?
An non Nestoreo fuerat dignissimus ævo:
Nonnè pater patriæ: patriæ decus occidit ingens?
Nonnè salutiferi tradentem dogmata verbi:
Abstulit atra dies & funere clausit acerbo?
Heu lugenda dies, nigrisq; notanda lapillis.
Funera namq; pijs qui funera tristia Brentij
Immotis animis oculisq;arentibus haurit:
Is durum Silicem, indomitumq; adamanta rigenti
Pectore fert: genuit durisq; hunc cautibus horrens
Caucasus: Hyrcanæq; admôrunt vbera Tygres.
Quapropter mæstos animos, turbataq; cuncti
Pectora cædentes, ob tristia fata dolete.
In primisq; pio patri cui vix tulit ætas
Nostra parem mæsto miseros da pectore planctus
VVirtenbergæ domus: fido es spoliata parenti.
Attamen immodicum frenis compescet dolorem,
Et cape dicta memor duri solaria casus.
An immortalem mortali egente putabis?
Falleris ô longè. Corpus mortale sepulchro
Tradidit: æthereas sed mens remeauit ad auras:
Exultans grauibus tandem defuncta periclis
En inuenta quies: En illa optata laborum
Viuenti roties es meta reperta parenti.
Ecce datur Domini moderamine cuncta regentis,
Imperi jufi, sanctos nunc cernere vultus.
O salue præclare pater, noua gaudia vite
Cœlestis, Brenti, patriæ decus accipe summum.
O salue præclare, bonisq; fruare paratis.

Clarissimi & sanctissimi viri D. Ioannis Brentij senioris, beatæ & celebris memoriae. Ioanne Sleifero Seruestano Authore:
Ad Lectorem.

Huc qui forte venis, parumper asta,
Et jaluerे pios iubeto Manes:
Nam Mors pallida BRENTIO rapaces
Iniecit Domino manus volente.
Qui Christi docuit salubre verbum,
Et contra tremitus dolosq; mundi,
Ac ipsum Satanan, & Antichristum
(Fidos vndiq; qui DEI ministros
Et quoscunq; vident eum colentes
Insanus odijs, fero furore,
Occidunt, Stygio caniq; tradunt)
Multos candidulos, piosq; libros
Æterno madidos Cedri liquore
In lucem dedit, & sacrauit orbi.
As nunc pro meritis tenet perenne
Cœlum, latitiamq; sempiternam.
Huic ergo placidum precare somnum
Pacem, molle solum, leuemq; terram.
Donec tempus erit potente flatu
Quando Numinis excitatus ille
Cum felicibus ac pijs resurget.
Tantum es quod volui: vale viator.

ALIVD.

BRENTIVS æthereæ constans pietatis amator
Huc cubat: at vasto nomen in orbe volat.

Annus

doctissimorum virorum.

119

Annus quo obiit.

EreptVs CLaVstro CarnaLI, personat astra
BrentIVs ILLe rel faMa theoLogICæ.

Annus & Mensis obitus.

Astra poLI(ah)InIIt LibraM prope CynthIVs errans,
BrentIVs ILLe rel stELLa theoLogICæ.

GEORGIVS HALA.

In obitum Reuerendiss. viri D. Ioannis Brentij.

QVi docuit Christum, Christoq; fidelis adhacit,
Brentius, ingenio clarus & eloquio.
In Christo moriens, Christi super astra receptus,
Aurea se gaudet templo videre Dei.
Occidit eloquij viuens cum corpore virtus:
Ingenij nobis sunt monumenta super.

GEOR. OSTERMARIUS F.

Errata.

Facie 4. linea antepenult, dele, mihi. fac. 5. lin. 1. dele, hoc. facie 8.
lin. 8. lege, dedidit. fac. 18. lin. 9. lege, vulgi quo cþ. fac. 22. lin. 12. lege,
testatus est Eccius. eadem facie lin. 14. lege, omnimodo. fac. 38. lin. 2.
lege, cum. fac. 46. lin. 10. lege, lychnus. ead. facie lin. 26. pro nauim,
lege nouum. fac. 79. vers. 5. & 6. lege sic:

Rebus in ambiguis si quando noxius error
Spargeret implicitis terra venena modis.

18.26090

21

qui non habet nisi quod dicitur
et ergo deinde non habet nisi quod dicitur

et non potest dicitur nisi quod dicitur
et non potest dicitur nisi quod dicitur

et non potest dicitur nisi quod dicitur
et non potest dicitur nisi quod dicitur

et non potest dicitur nisi quod dicitur
et non potest dicitur nisi quod dicitur

et non potest dicitur nisi quod dicitur
et non potest dicitur nisi quod dicitur

et non potest dicitur nisi quod dicitur
et non potest dicitur nisi quod dicitur

et non potest dicitur nisi quod dicitur
et non potest dicitur nisi quod dicitur

et non potest dicitur nisi quod dicitur
et non potest dicitur nisi quod dicitur

et non potest dicitur nisi quod dicitur
et non potest dicitur nisi quod dicitur

et non potest dicitur nisi quod dicitur
et non potest dicitur nisi quod dicitur

in
in
in

